De varia quae est apud veteres Romanorum poetas ...

Samuel Brandt

Digitized by Google


LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LET THERE BE LIGHT
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
ORGANIZED 1868
JANE K. SATHER
LIBRARY FUND.
ACCESSION
CLASS 760 f B621

DE VARIA QUAE EST

APUD

VETERES ROMANORUM POETAS SCAENICOS

GENETIVI SINGULARIS PRONOMINUM

FORMA AC MENSURA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD VENIAM LEGENDI

IN UNIVERSITATE RUPERTO-CAROLA HEIDELBERGENSI

RITE CAPESSENDAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

PROPOSUIT

SAMUEL BRANDT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXVII

Digitized by Google

Digitized by Google

PA 2285
B78
1877
MAIN

Postquam Fridericus Ritschelius anno huius saeculi vicesimo nono in libello qui inscriptus est Schedae Criticae de mensura genetivi *alterius* disputavit, quae disputatio nunc in altero volumine opusculorum Ritschelii p. 662 ss. legitur, ex eo tempore non solum ipse curis plus semel repetitis ad quaestiones quasdam, quae sunt de genetivis pronominum in *ius* desinentibus persequendas et si fieri posset absolvendas revertit, sed etiam alii viri docti Ritschelii disputationibus incitati, sive de quibusdam rebus aliter statuere posse sibi videbantur, sive de iis rebus, quas attingere omnino illi in animo non fuerat, erant dicturi, ad easdem quaestiones tractandas aggressi sunt. Qui viri quamvis studia sua in eum omnes finem convertissent, ut quae de genetivis illis dubia essent indagarent et pro incertis certa reperirent, tamen cum alius aliam quam enucleare quaestionem sibi sumpsisset, factum est, ut neque singulae quaestiones ad genetivos pronominum pertinentes omnes explorarentur neque, quod eam ipsam ob causam fieri non potuit, singulae totius rei partes ita inter se compararentur, ut etiam sibi invicem lumen afferrent. Genetivi enim pronominum et adiectivorum pronominalium quae dicuntur in *ius* terminati tanta inter se similitudine continentur, ut universae quoque rationes, quae omnes illos genetivos complectantur, iure sint statuendae. Quare nobis de genetivis illis disputantibus tam de singulis accurate quaerendum quam diligenter ea collegenda et comparanda erunt, quae ad illos omnes spectent[1]).

Pronomina, quorum de genetivis hac in disputatione agendum nobis est, haec sunt: *is hic qui (quis) ille iste ipse,* ad quae accedunt adiectiva pronominalia: *alius alter neuter nullus solus totus ullus unus uter.* De origine atque indole genetivi in *ius* desinen-

1) Iam maiorem operae partem hanc in quaestionem conferendae absolveram, cum disputationem de eadem re ab Aug. Luchsio conscriptam et in altero fasciculo primi voluminis Studiorum in priscos scriptores Latinos collatorum a G. Studemundo editorum prodituram iam prelum reliquisse inveni. Qui libellus quamquam iam Dziatzkoni cum Phormionem (ao. 1874), et Brixio cum Militem gloriosum edidit (ao. 1876) in manibus erat, ab illo ad Phorm. 648, ab hoc in adnot. crit. ad Mil. 448 commemoratus, tamen quo tempore disputationem meam finivi in publicum nondum prodierat.

121472
Digitized by Google

tis viri docti tot tamque varias sententias protulerunt, ut tota haec res adhuc obscura et dubia esse videatur. Dixerunt de ea quaestione Aufrechtius, Boppius, Benfeius, quorum Fleckeisenus in Iahnii Annall. 67 (1853) p. 114 mentionem facit, Corssenus de pronunt. etc. ling. Lat. II^2 672 ss., qui in adnotationibus paginis 672—677 eiusdem libri subiectis Meunierii et Windischii, p. 1020 s. autem Merguetii sententiam impugnat; deinde Buechelerus, cui quid videatur libri quem de declinatione scripsit paginis 33 et 39 collatis effici potest; attingit eam rem etiam Neuius de formis ling. Lat. II^2 191; Hartungum et Max. Schmidtium [1]) de eadem re egisse Ritschelius opusc. II 668 dicit. Ritschelius ipse eo loco, quamquam coniecturam quandam profert, quaestionem in dubio relinquit neque aliter Schleicherus facit, gramm. comp. ed. I. p. 486, ed. III. p. 612 formam illam genetivi obscuram esse dicens. Ego omnibus iis quae viri docti excogitaverunt enarrandis supersedens unum tantum addo, maxime Buechelerus quae proposuerit mihi placere.

In disputatione nostra instituenda ea progrediamur via, ut primum de iis genetivis, quorum terminationem *ius* consonans antecedit, qui genetivi pronominum *ille iste ipse* et adiectivorum pronominalium sunt agamus, altera deinde parte genetivos pronominum *is hic qui (quis)*, qui ante terminationem *ius* vocalem habent, complectamur.

PARS PRIOR.

De genetivis in ius desinentibus, qui ante terminationem consonantem habent.

Genetivorum pronominum et adiectivorum pronominalium, quorum terminationem *ius* consonans antecedit, cum usitata mensura ea sit, ut priorem eius terminationis syllabam et productam et accentu notatam habeant, primum certa exemplа genetivos in *ius* terminatos ostendentia componam levem lectionum varietatem quae sedem eorum genetivorum non attingit praetermittens [2]).

I. Enumerantur genetivi in *ius* trochaicum desinentes paroxytoni.

A. Genetivi *illíus* haec sunt exempla:

In iambicis senariis *illíus* primum iambum et alteram thesim efficit:

1) Hartungi (ueber die Casus . . . 1831) et Schmidtii (de pron. Graec. et Lat. 1832) librorum copiam mihi facere non potui.

2) Fragmentis poetarum scaenicorum et sententiis Publilii Syri numeros alterius editionis Ribbeckii adscripsi.

Digitized by Google

1) Amph. 473.
Illíus quam amat: igitur demum omnés scient.
2) Amph. 896.
Illíus ira in hánc et maledicta éxpetent.
3) Men. prol. 42.
Illíus nomen índit illi qui domist.
4) Mil. 589.
Nam *illíus* oculi atque aúres atque opínio.
5) Most. 612.
Illíus: is tibi faénus et sortém dabit.
6) Poen. I 1, 30.
Illíus domino, nón lutumst lutuléntius.
7) Eun. 444.
Illíus formam: tu húius contra. dénique.

Illíus alterum iambum et tertiam thesim tenet:

8) Bacch. 601.
Quis tu és? : : *Illíus* sum íntegumentum córporis.
9) Bacch. 851.
Vir hic ést *illíus* múlieris, quacum áccubat.
10) Bacch. 1044.
Miserét me *illíus* : : Túus est, non mirúm facis.
11) Men. prol. 47.
Proptérea *illíus* nómen memini fácilius.
12) Merc. 236.
Ait sése *illíus* ópera atque adventú caprae
13) Mil. 1299.
A mátre *illíus* vénio. si iturást, eat.
14) Rud. prol. 77.
Ad víllam *illíus,* éxul qui ibi habitát senex.
15) Truc. III 1, 12.
Nam ovés *illíus* haú longe absunt á lupis.
16) Afran. com. 150.
Vis, quánta *illíus* mórs sit maceriés tibi.

Illíus tertius iambus cum quarta thesi est:

17) Afran. com. 148.
Advórsum fratrem *illíus* ac dominúm suum.

Quartus iambus cum quinta thesi est:

18) Mil. 111.
Quam erus méus amabat. nám is *illíus* filiam.
19) Trin. 157.
Si quíd eo fuerit, cérte *illíus* filiae.

Trochaici septenarii *illíus* primam thesim et alterum trochaeum efficit:

20) Haut. 397.
Ut ex *illíus* cómmodo meum cómpararem cómmodum:: Ah.

Digitized by Google

Altera thesis et tertius trochaeus est:

21) Cas. III 2, 20.

Própter operam *illíus* hirqui ímprobi atque edéntuli.

Prior versus pars sine dubio sana est; in altera libri *improbi edentuli* exhibent. *Atque* Weisius inseruit, Ritschelius opusc. II, 680 *hirquini, improbi atque ed.,* HAKochius in Fleckeiseni Annall. 105 (1872) p. 604 *hirqui vetuli edentuli improbi* conicit.

22) Rud. 1094.

Si scelesti *illíus* est hic quoíus dico vídulus.

Tertia thesis cum quarto trochaeo est:

23) Cist. II 1, 39.

Ítaque me Ops opulénta *illíus* ávia : : Immo matér quidem.

24) Men. 904.

Séd ego stultus súm, qui *illíus* ésse dico, quaé meast.

25) Poen. IV 2, 73.

Eódem quo sorór *illíus* áltera Anterástilis.

26) Afran. com. 164.

Cómmemorabo, osténdam *illíus* fácta et spurcitiam ímprobi.

Illíus quartam thesim cum quinto trochaeo efficit:

27) Merc. 443.

Sánus non est éx amore *illíus:* quod poscés, feres.

28) Trin. 965.

Átque etiam Philippúm, numeratum *illíus* in mensá manu.

Iambici septenarii primum iambum et alteram thesim *illíus* tenet:

29) Most. 242.

Pro *illíus* capite quód dedi, numquam aéque id bene locássem.

Alter iambus et tertia thesis est:

30) Haut. 687.

Laetór quam *illius:* quam égo scio esse honóre quovis dignam.

Quintus iambus et sexta thesis est:

31) Merc. 535.

Nunc quándo amicum té scio esse *illíus,* indicábo.

32) Mil. 1238.

Istúc curavi, ut opínione *illíus* pulcriór sis.

Trochaici octonarii sexta thesis cum septimo trochaeo est:

33) Pers. 36.

Út mihi des nummós sescentos, quós pro capite *illíus* pendam.

Afranii tria exempla (16. 17. 26), tria Terentii (7. 20. 30), reliqua numero viginti septem Plauti sunt.

B. Genetivus *istíus* his locis occurrit:

Iambici senarii primum pedem cum altera thesi facit:

Digitized by Google

1) Bacch. 252.

Istíus hominis úbi fit quomque méntio.

Alter iambus et tertia thesis est:

2) Merc. 738.

Nihil hércle *istíus* quícquamst: numero púrigas.

3) Afran. com. 35.

Pol mágis *istíus* témulentae fúttilis.

Tertium iambum cum quarta thesi tenet:

4) Haut. 869.

Ut istám rem video, *istíus* obsaturábere.

Trochaici septenarii *istíus* primam thesim cum altero trochaeo tenet:

5) Mil. 1164.

Quásique *istíus* caúsa amoris éx hoc matrimónio.

6) Trin. 894.

Páter *istíus* ádulescentis dédit has duas mi epístulas.

Tertiam thesim cum quarto trochaeo efficit:

7) Mil. 1165.

Ábierim cupiéns *istíus* núptiarum : : Omne órdine.

Quarta thesis et quintus trochaeus est:

8) Mil. 1163.

Némpe ut adsimulém me amore *istíus* differri : : Tenes.

Ritschelius contra libros *Eu tenes* scripsit. *Tenes* HAKochius in Fleckeiseni Annalibus 101 (1870) p. 64 adn. retinet; sic etiam Brixius et Lorenzius scribunt.

9) Haut. 571.

Át fides mi apud húnc est, nihil me *istíus* facturúm pater.

Septenarium trochaicum cum Bentleio, Fleckeiseno, G. Wagnero scripsi. Libri iambicum octonarium trochaicis septenariis immixtum exhibent:

At míhi fides apud húnc est, nihil me *istíus* facturúm pater.

Sed etiam hoc in versu mensura *istíus* manet.

Plauti sex exempla (1. 2. 5. 6. 7. 8) sunt, Terentii duo (4. 9), unum (3) Afranii est.

C. *Ipsíus* semel apud Plautum, semel apud Terentium, semel apud Afranium legitur:

1) Capt. 287.

Ímmo edepol proptér avaritiam *ipsíus* atque audáciam.

2) Hec. 818.

Gnatum ei restituo, paéne qui harum *ipsíus*que opera périit.

3) Afran. com. 257.

– ∪ ∪ – quam mihi sit grata *ipsíus* obsequélla.

Quod fragmentum si cretico praemisso septenarium trochaicum esse statuis, mensuram genetivi *ipsius* eandem retinet.

Digitized by Google

D. *Unĭus* bis in sententiis Publilii Syri est:

v. 363.

Malítia *unius* cíto fit maledictum ómnium.

v. 535.

Qui *unius* culpae ignóscit, suadet plúribus.

Reliquorum genetivorum in *ĭus* desinentium praeter *alterĭus* certa exempla non extant. Sed de genetivo *alterĭus* seorsim dicemus.

II. De genetivis in *i* et *is* terminatis.

Multi versus veterum poetarum scaenicorum sunt, qui genetivos *illĭus istĭus* similes non admittunt. Quorum versuum numeros si quis fortasse formis *illĭus istĭus* illatis restitui posse putat, rectam is viam ingredi eo magis videtur, quod eae formae non solum in carminibus dactylicis inferioris aetatis haud raro occurrunt, sed quod *illĭus* etiam in usu cotidiano fuisse Ciceronis testimonium confirmat. Is enim de or. III 47, 183 postquam de cretico pede dixit, sic pergit: *A quo numero exorsus est Fannius: 'Si, Quirites, minas illius'*. Haec verba tres creticos efficiunt, quorum ultimus *illius* est. Sed si mensuram creticam vel quae proprie vereque est dactylicam in versus

Epid. III 4, 11

Suas púgnas de *illĭŭs* óre fiunt sordidae,

Phorm. 969.

Non hércle ex re *istĭŭs* me ínstigasti, Démipho,

adsumpseris, contra legem Lachmanni (ad Lucr. 116) vocem dactylicam trochaei locum tenentem habes. Quare si *illius* et *istius* paenultimam corripientia retinere vis, nihil restat nisi ut primam utriusque vocis syllabam brevem esse sumas. Sed tribrachica *illius* et *istius* duo illi versus licet optime recipiant, tamen quo iure mensura illa veteribus poetis scaenicis tribuenda sit, quaestione instituta indagare debemus. Nam in thesi quidem positam priorem syllabam saepissime *ille* et *iste* corripiunt, sed de *ille* et *iste* pyrrhichiis paroxytonis minus constat.

Virorum doctorum de ea re sententiae duas in partes discedunt. Mensuram *ĭlle* et *ĭste* probant Ritschelius, qui ut iam prolegg. ad Trin. CCLX in versu Trinummi 672 nunc in altera editione expulso:

Ílle qui aspellit, ís compellit: *ille* qui consuadét, vetat.

ĭlle erat mensus, sic opusc. II 681 ss. haud paucos in versus *ĭllĭus* recipit; deinde Bentleius ad Andr. II 6, 27 (*ĭllic*), Brixius in praef. ad Trin.[2] p. 17 et in adnot. ad Trin. 853, Buechelerus de decl. 39 in fine (*ĭllĭus*); Corssenus de pronunt. I[2] 624 s. Priorem syllabam vocabulorum *ille* et *iste* in arsi corripi posse negant CFG Muellerus de pros. Plaut. 330 ss. 424 ss., P. Langenus in indice lect. hib. Monast. 1873/74 p. 3 s., Dziatzko ad Phorm. 648,

Digitized by Google

fortasse A. Luchsii disputationem ineditam (v. supra p. 3 adn.) secutus. Conferendae etiam sunt paginae 63 ss. Spengelii, T. M. Plaut. Locos a Corsseno l. l. ad causam suam defendendam allatos iam Langenus l. l. minime huc pertinere demonstravit. Alios locos, quibus mensuram illam aut libri praebent aut editores intulerunt, CFGMuellerus conquisivit, quos omnes ille mutare aut certe in dubitationem vocare conatur.

Sed quamquam haud pauci illorum versuum merito suspicionem movent, tamen nonnulli restant, qui Muelleri argumentis convelli non possunt. Firmissimam sedem *ille* hisce in versibus habere mihi videtur:

1) Trin. 853.
Ílle qui me condúxit, ubi condúxit, abduxít domum (v. Mueller. p. 428).

2) Mil. 262.
Nam *ille* non potuit quín sermone suo áliquem familiárium (v. Mueller. 428).

3) Enn. 228 R².
Ílle traversa ménte mi hodie trádidit repágula (v. Muell. p. 427).

Vix minus certi sunt:

4) Aul. IV 4, 29.
Périi hercle, *ille* nunc íntus turbat. Húnc si amitto, hic ábierit (v. Mueller. 336 s.).

5) Bacch. 886.
Et égo te et *ille* mactámus infortúnio (v. Mueller. 332).

6) Men. prol. 57.
Epidámniensis *ille* quem dudum díxeram (v. Muell. 336 s.).

7) Mil. 830.
Nego hércle vero, nam *ille* me votuit dícere (v. Muell. 335).

Terentii unus versus est, 8) Eun. 618 (v. Muell. 338):
Militem rogat, út illum admitti iúbeat, *ille* continuo irásci.

Accedunt sex loci, quibus omnibus initium *illic hinc ábiit* commune est: Aul. II 2, 87; III 4, 1; Capt. 901; Epid. I 1, 75; Pers. 200; Poen. IV 2, 95 (v. Mueller. 428). Multis locis quibus pronomen *illic* vox a vocali incipiens sequitur, Muellerus *ille* scribit (p. 428 s.). Tamen inprimis sex illis locis permotus facere non potest, quin num Plauto mensura *illic* abiudicanda sit dubitet. Ego omnibus illis versibus examinatis Plautum *ille* et *illic* pro pyrrhichiis usurpasse non ausim negare. Sed licet Plautus in quindecim fere illis versibus *ille* et *illic* pyrrhichii loco posuerit, licet etiam locis plus triginta omnibus a Muellero allatis eadem mensura vera sit: minime ii numeri me movent. In Mercatore, Persa, Pseudulo, Sticho, Trinummo, quas in fabulas versuum supra enumeratorum duo (Pers. 200. Trin. 853) cadunt, non multo minus ducenta exempla

Digitized by Google

vocum *ille* et *illic* priorem syllabam in arsi positam producentium inveni. Qua cum multitudine qui paucitatem illam confert, cum uni *ille (illic)* fere centum *ille illic* obstent, vel maxime cavendum esse censebit, ne Plautum liberalius mensura *ille illic* donemus. Accedit quod maior pars locorum supra enumeratorum *ille* vel *illic* in initio versus positum habet; quae res fortasse excusationem quandam ei mensurae praebet (v. Mueller. p. 424).

Mensura *iste* etiam multo incertior est. Mihi quidem Muellerus locos a se congestos (p. 362 ss.) quibus *iste* in libris legitur nihil probare persuasit; quorum nonnullos iam Ritschelius et Fleckeisenus in editionibus mutarunt [1]).

Paucissima igitur apud Plautum pyrrhichii *ille* vel *illic* exempla, certa autem mensurae *iste* nulla inveniuntur. Apud Terentium ne *ille* vel *illic* quidem plane certum extat. Quid igitur? Genetivum *illĭus* Plauto decem, totidemque Terentio locis — tot enim fere sunt — *istĭus* autem Terentio Phorm. 969 tribuere licebit? Ego quidem non tribuo. Nonne enim etiamsi nominativis *ille illic iste* licentiam illam indulgemus, aliam genetivorum condicionem esse iudicabimus? Quos ipsos dactylum aequantes, cum voculae illae trochaicae *ille illic iste* facile usu ut pyrrhichiae fierent detererentur, multo difficilius ad mensuram tribrachi redigi potuisse nemo est quin sentiat. Certae igitur causae sunt, quibus ut genetivis *illĭus* et *istĭus* aditum ad versus poetarum scaenicorum praecludamus monemur. Sed fac, formae illae admittendae sint: nihilo minus novae oriuntur difficultates, quae nova nos auxilia circumspectare cogunt. Quonam modo hos versus legendos esse censebimus? —:

Phorm. 648.

Ut ad paúca redeam ac mitto *illĭus* inéptias.

Accii v. 136.

⏑ ∪ – ∪ quánto magis te *istĭus* modi ésse intéllego.

Si *illĭus* et *istĭus* metiris, vocabula dactylica prave in media syllaba acuuntur; si mensuram *illĭus* et *istĭus* inducere vis, tribrachicorum vocabulorum media, quod ars poetarum non minus respuit, sub ictu ponitur. Ne in hac quidem mensura: *illĭus istĭus* requiescere potes: nam numeri *illĭŭs* | *inéptias* et *istĭŭs* | *mŏdi ésse* anacruses anapaestorum perverse discindunt. Minime vero ‘quánto mágis te *istĭŭs* modi’ ferendum est. Plane eiusdem generis hi versus sunt:

---

1) Aul. II 2, 85:

Íbo igitur, parábo, numquid mé vis? : : *Istuc* : : Fiét. vale.

Muellerus p. 550 adn. hunc versus finem proponit: Istuc : : *I (et)* vale. Lenius est:

Íbo igitur, parábo, numquid mé vis? : : *Stuc* : : Fiét, vale.

Digitized by Google

Pseud. 1196.

Quem ego hominem *nullius* coloris novi : : Non tu istinc abis?

Haut. 576.

Apud alium prohibet dignitas, apud alium *ipsius* facti pudet.

Unum restat auxilium, quo adhibito uno quasi ictu omnia discutiantur impedimenta: disyllabae genetivorum formae substituendae sunt. Iam CFGMuellerus de pros. Plaut. p. 341 genetivo *illius* per synizesim (*illjus*) ad mensuram disyllabam revocando difficultates removeri posse putaverat. Sed cum usus eius synizeseos in senariis et septenariis in artissimum coactus sit, viam a Muellero indicatam si ingredimur, ex unis in alteras angustias incurrere videmur. Ritschelius primus (opusc. II 692 s.) genetivos in *i* terminatos in lucem protraxit, qui quamquam a grammaticis traduntur et in codicibus extant, tamen in verum usum nondum erant conversi. Sed cum Ritschelius eos tantum cum genetivo *modi* coniunctos admiserit, ego grammaticorum testimoniis usus etiam extra illam consociationem positos reducam. Grammatici iis de genetivis hisce locis dicunt. Priscianus I 196 H. nomina *unus ullus nullus solus totus alius uter alter* rariore et vetustiore in usu genetivum in *i* et dativum in *o* terminare dicit. Idem I 226 H. *vetustissimos,* inquit, *solere omnium in ius terminantium genetivum et in i dativum etiam in i genetivum et in o dativum in genere masculino et neutro, in feminino vero secundum primam declinationem in ae diphthongum proferre.* Tertio loco I 265 s. H. non solum adiectiva illa pronominalia, sed *omnia, quae simili declinatione proferantur* i. e. pronomina ipsa *apud veteres et nominum modo declinata esse* docet. Quarto loco II 7 s. H. ad eandem rem reversus adiectiva pronominalia *apud vetustissimos . . secundum mobilium regulam nominum* i. e. secundum alteram substantivorum declinationem genetivos et dativos terminare solita esse testatur. Exempla Priscianus haec addit. *Alii modi* M. Cato dixit (Prisc. I 226. 266. II 8 H.), Fannius in I annalium (II 8, ubi lege *alii*), Caelius in primo libro belli Punici (II 8, cfr. I 226, ubi *alii* esse debet), G. Licinius (I 227. 266. II 8), Caesar in Anticatone priore (Prisc. I 266; I 227 et II 8 falso pro *alii* scriptum est *alius*). *Alii rei causa* Caelius usurpavit (Prisc. I 266; II 8, ubi *alii* legendum est). Genetivum *alii* etiam Charisius (p. 163 K.) testatur. Huc pertinet etiam quod apud Festum Pauli p. 28 M. est *alimodi pro alius modi.* Pariter *alii generis* Varro de l. Lat. IX 40, 67 M., idem de re rust. I 2, 19 Gesn. *ut ex caprino genere ad alii dei aram hostia adduceretur, ad alii non sacrificaretur* scripsit. Terentium in Andria (III 5, 2 = 608) Priscianus (II 7 H.) et Charisius (111 K.) testantur scripsisse *tam iners, tam nulli consili* pro *nullius consilii,* genetivum etiam videri apud Catonem esse *qui tantisper nulli rei sies, dum nil agas* (Prisc.

Digitized by Google

I 227 H.). Etiam Marius Victorinus p. 9 H *genetivum casum .... veteres .... nulli dixerunt* tradit. Plautus in Truculento (II 2, 38) *coloris ulli* pro *ullius* usurpavit (Prisc. I 227 s. 266). *Uni* pro *unius* Titinius in Barbato dixit (Prisc. I 227. 266): *namque úni collegí sumus,* pariter *toti* Afranius in Suspecta (Prisc. I 227. 266): *adeo út te satias cáperet toti fámiliae,* Cato in primo originum libro *soli Lucii Manlii* (Prisc. I 227. 266). Pronominum ipsorum haec exempla sunt: *illi modi* Cato scripsit (Prisc. I 228), idem *isti modi* (Prisc. I 228), *ipsi* pro *ipsius* Afranius in Omine (Prisc. I 227): *ipsí me velle véstimenta dícito. Cuicuimodi* pro *cuiuscuiusmodi* apud Ciceronem pro Sexto Roscio (Prisc. II 7) et in Verrinis est (Pomp. 207 K.; Cledon. 52 K.; Art. anonym. Bern. 140 H.). *Neutri generis* certo usu grammaticorum vulgatur. Tanta cum multitudo exemplorum sit, minime dubitandum est, quin illa genetivi forma saepissime in vetere lingua frequentata sit. In codicibus quidem perrara est. Sed firmissimo exemplo e libris antiquas formas noviciis expulsas esse probatur. Quid? quod neglectis disertis grammaticorum testimoniis Ter. Andr. 608 (= III 5, 2) libri BCEP *nullius* praebent?

Priscianus genetivos illos secundum alteram nominum declinationem formatos esse dicit, dativos quoque in *o* desinentes extare testatus. Sed quomodocumque de dativis res se habet, de genetivis falsa grammaticus tradit. Caelius scripsit *alii rei* (Prisc. I 266. II 8), Cato *nulli rei* (Prisc. I 227), Afranius *toti familiae* (Prisc. I 227. 266): ergo nihil certius est quam genetivos illos e forma in *ius* desinente, quae terminatio deinde *is* et *i* facta est, natos esse. Formam igitur in *is* desinentem cum medium inter *ius* et *i* locum teneat, et ipsam in usu sermonis fuisse veri simillimum est. Sed non solum ratio, sed etiam numeri versuum eam formam postulant. Versus enim Phorm. 648:

Ut ad paúca redeam ac mítto *illius* inéptias,

vel Epid. III 4, 11:

Suas púgnas de *illius* óre fiunt sórdidae,

nullo alio modo nisi forma *illis* recepta legere potes. In priore enim versu neque *illíus neque illíus* admittendum esse iam p. 10 diximus, pariterque alterum in versum neutra earum mensurarum recipi potest. Cum autem *illi* insequens vocalis legi vetet, nihil nisi *illis* superest. Hac cum forma alia quaedam est quae possit conferri. Priscianus enim II 77 H. *aliter ab eo quod est hic alis huius alis huic ali pro alius alius alii* profectum esse dicit. Nominativum *alis* Priscianus etiam II 8 H. pariterque Diomedes 333 K., Charisius 159. 561 K. testantur. Ritschelius quidem non nominativos *alis* et *alid* ex *alius* et *aliud,* genetivum *alis* ex *alius* contractum esse vult, sed breviores formas priores fuisse, pleniores secutas esse (de declinatione quadam Latina reconditiore quaestio epigraphica, Bonnae 1861. supplementum quaestionis de declin. quadam

Digitized by Google

Lat. recond. Bonnae 1861). Breviores enim formas vestigia vetustae illius et reconditioris declinationis esse putat nominativum in *is* pro *ios ius* terminantis et nominum propriorum, substantivorum, adiectivorum casibus huc pertinentibus probatae, cuius plenum conspectum de decl. 16 s. proposuit. Sed hanc declinationem omnino non fuisse, sed formas breviores e longioribus factas esse cum iam Buechelerus, Corssenus, Curtius, (locos eorum v. apud Benselerum p. 150 s.) statuissent, post Benseleri disputationem *de nominibus propriis et latinis in 'is' pro 'ius' et graecis in* ις ιν *pro* ιος ιον *terminatis* tertio volumini Curtii Studiorum in grammaticam Graecam et Latinam collatorum 1870 (p. 147—183) insertam nemo erit quin pro explorato habeat. Ac nominativos quidem *alis* et *alid* ex *alius* et *aliud* natos esse eo quoque firmatur, quod *alis* et *alid* ante septimum Urbis saeculum apud nullum scriptorem Romanum extant. Ne in Plauti quidem neque in Terentii fabulis eae formae sive inveniuntur sive postulantur (v. Ritschel. de decl. 10. 19). Certissimum exemplum formae *alis* in titulo Furfensi CIL. I n. 603, lin. 10, qui anni a. U. c. 696 est, occurrit, inter scriptores Lucilius, Catullus, Lucretius, Sallustius saepius *alis* et *alid* usurpant. Priscianus quidem (II 8 H.) *antiquissimos alis* pro *alius* dixisse, Charisius (159. 561 K.) pariterque Diomedes (333 K.) *veteres* nominativo *alis* usos esse tradit. Sed ut illorum sive antiquissimorum sive veterum aetatem ultra septimum Urbis saeculum reducamus causa non est. Genetivorum vero exempla in *is* terminatorum, quibus Ritschelii doctrina nititur, quam longissime absunt ut fide digna sint. Nam *Clodis* quod est in epigrapho ollae cinerariae *P. Clodis C. l. Pampini* (CIL. I n. 856. Ritschel. de declin. 8) sine dubio Ritschelius nulla alia de causa nisi quod *Pampini* alius casus esse non posse videretur, genetivum interpretatus est: sed cum *Pampinus* vel simile nomen nusquam alibi inveniatur, ea haud dubie de causa Mommsenus *Pampilus* intellegit (v. ad hanc inscript.). *Clodis* autem *Clodius* est, ut totus titulus sit: *P. Clodius C. libertus Pamphilus*. Multo etiam minus constat de genetivis *C. Vettii Helis* (v. Ritschel. de decl. 13. supplem. IX) et *Modestis* et *Slaccis* a Benselero allatis (l. l. 152 s. 167) et de forma *Oratis* (CIL. IV n. 2682) in indice Zangemeisteri (p. 257) pro genetivo *Horatii* sumpta. Sed quomodocumque his de formis iudicas, genetivum *alis* non genuinum esse, sed ex *aliius* vel *alius* contractum, certissima argumentatione planum fieri potest. Nominativus *alis* aut posterior forma, quam sententiam ego sequor, aut quod Ritschelius vult, prior fuit. Si posterior fuit, etiam genetivus *alis* posterior fuerit et ex priore *alius* factus sit necesse est; si *alis alid* antecessit, Ritschelius ipse facere non potest, quin hoc pronomen adiectivum societati pronominum *quis quid, is id* adiungat (de decl. 17). Quare cum Ritschelius accusativum *alim* eodem modo quo *em (im) quem* formatum esse dicat, quid tandem quaeso de genetivo

Digitized by Google

statuendum est? An vero cum non solum genetivi pronominum *is qui* sint *eius quoius*, sed etiam cetera pronomina et pronominalia omnia pariter genetivum in *ius* terminent, unum nominativum *alis* habere genetivum *alis* et non *alīus* quisquam credet? Quam necessitatem qui *alis alid* pariter formatum esse atque *is id, quis quid* censet, evitare non potest. De opinione in quam inciderit aliquis, *alis* genetivum nominativi *alis* esse, ut nominativus *avis* genetivum *avis* faciat, verbum non dico. Quod autem genetivi *alii* et *ali* alter iam apud Catonem *(alii modi)*, alter in *alimodi* (Fest. p. 28) quam locutionem Verrius Flaccus haud dubie ex antiquiore scriptore repetivit extat, nominativus autem *alis alid* septimo demum saeculo in usum venit, ea res nullam in se difficultatem habet. Genetivus enim qui producta paenultima *alīus* erat, cum nominativus paenultimam corriperet, ultimam syllabam *us* antecedente longa *i* haud dubie multo prius et facilius quam in *us* nominativi factum est obscuravit.

Ex *alīus* et *alīus* primum *aliis* et *alis*, deinde formae *alii* et *ali* factae sunt. Paulatim etiam nominativus *alis alid* in usum veniebat et septimo Urbis saeculo frequentabatur. Post septimum deinde saeculum brevior et nominativus et genetivus plenioribus rursus formis expulsi sunt. Ceterum genetivus adiectivi *alius* apud poetas scaenicos non invenitur.

Etiam aliud fortasse vestigium est, quod ad genetivos in *is* desinentes perducat. An vero genetivos *mis* et *tis* aliter atque sic factos esse putas, ut ad stirpes *mi-* et *ti-* terminatio genetivi pronominum *ius* accederet? Formis autem *mi-ĭus ti-ĭus* primum ad *mius tius*, post ad *mis tis* via proclivis fuit.

Quibus omnibus perpensis, in sermone *illis istis* similia nusquam non ubi vocalis secuta est, ante consonantem autem ut cuique libuit, quin pronuntiata sint non dubitabimus. Sed aliter de ea scriptura iudicandum est. Nihil enim causae apparet, cur formas in *is* terminatas etiam scribi solitas esse sumamus. Nam quod unus genetivus *alis* extat, eius exempli vis non tantum valet, ut alii quoque genetivi ad normam eius revocandi sint, neque merito P. Langenus l. l. genetivos in *is* desinentes coniectura tantum assecutus in versus poetarum recepisse videtur. Immo etiam in sermone formae in *is* terminatae minus quam quae in *i* exeunt in usu fuisse veri simile est. Exempla enim a grammaticis allata (v. supra p. 11 s.) omnia, cum solito more littera *s* ante consonantem obscuraretur, terminationem *i* ostendunt. Quae terminatio cum iure scripturae quoque reddenda sit, tamen illud aliud etiam relinqui concedendum est, ut in *ius* illae formae scribentibus terminarentur, in *i* vel *is* dicentibus. Quibus praemissis, in insequentibus versibus ante consonantes *illi(us)* vel *illi*, ante vocales *illĭus* pariterque alios genetivos scribam.

Digitized by Google

A. Initium loci Plautini, quibus *illius* disyllabum est faciant. Fere omnibus commune est, ut *illi(us)* et *illius* trochaei locum teneant.

Illi(us):

1) Curc. 413.

Libértus *illi(us)*, quem ómnes Summanúm vocant.

2) Merc. 657.

Ádeo dum *illi(us)* té cupiditas átque amor missúm facit. *te cupiditas* libri et nunc Ritschelius opusc. II 682; olim in ed. Ritschelius *cupiditas te*.

3) Mil. 1170.

Íta volo adsimuláre, prae *illi(us)* fórma quasi spernás tuam.

4) Poen. V 2, 90.

O mi hóspes, salve múltum, nam *illi(us)* míhi pater.

5) Pseud. 1169.

Séquere. quid ais? némpe tu *illi(us)* sérvos es? : : Planíssume.

Cum Ritschelio op. II 687 *némpe* metior; v. CFGMuellerum de pros. Plaut. 433 s.

Illius:

6) Aul. prol. 35.

Is ádulescentis *illius* est avónculus.

7) Epid. III 4, 11.

Suas púgnas de *illius* óre fiunt sórdidae.

8) Epid. V 2, 51.

Aín tu te *illius* ínvenisse fíliam? : : Inveni, ét domist.

9) Merc. prol. 51.

Lacerári valide suám rem, *illius* augérier.

Ritschelius cum propter antecedentem versum in ed. *illorum* scripserit, nunc op. II, 684 *illius* non improbat. Transponendorum verborum necessitas, modo *illius* legas, non est.

10) Mil. 986.

Haéc celox *illius* est, quae hinc egréditur internúntia.

illius B, *illius est* CD. Cum neque *illĭŭs* neque *illĭŭs* esse possit, nihil nisi *illis*, cuius altera syllaba *i* longam retinuit, restat.

In versibus 1. 5. 6. *illius* violenter anacrusim anapaesti discinderet. Disyllaba igitur forma scribenda est.

11) Decem his versibus undecimum Pseud. 1091 addo. Libri versus 1091 ss. sic praebent:

Memini : : em illius seruos huc ad me argentum attulit
Et obsignatum (CD et eboh signatum B) simbolum : : quid postea?
Qui inter me atque illum militem convenerat.

Qui tres versus aperte corrupti sunt; v. Ritschel. op. II 700 ss. Sed primus versus, modo *illi(us)* legatur, sanus est, reliqui deinde cum Fleckeiseno scribendi sunt:

Digitized by Google

Memini : : Ém *illi(us)* servos húc ad me argentum áttulit,
Et epístulam eius óbsignatam, sumbulum
Qui intér me et illum convénerat : : Quid póstea?

Ritschelii igitur mutatione opus non est. De interiectione *em* non elidenda v. Ritschel. op. II 701; exempla a Muellero de pros. Pl. 720 s. allata mihi elisionem non probarunt.

Terentii hi loci sunt:

Illi(us):

1) Eun. 370.

Respónde : : Capias tu *illi(us)* vestem : : Véstem? quid tum póstea?

2) Eun. 620.

Id faciebat rétinendi *illi(us)* caúsa: quia illa quaé cupiebat.

3) Eun. 741.

Úsque adeo égo *illi(us)* férre possum inéptiam et magnífica verba.

Hic locus inter certissima documenta est. Nam codices *adeo egó illius* (*illius ego* B) testantur; *egó* Bentleius, quem Fleckeisenus et Umpfenbachius secuti sunt, eiecit.

4) Haut. 203.

Huncíne erat aequom ex *illi(us)* more an íllum ex huius vívere?

5) Haut. 544.

Abeát, quom tolerare *illi(us)* sumptus nón queat.

6) Huc etiam versus Ad. 441 vocandus est:

Ne *illí* modi iam mágna nobis cívium.

Potest quidem in primo senarii pede dactylus *illĭŭs* esse, sed cum *illi modi* Catonem scripsisse constet, nemo quin hoc praeferendum sit dubitabit. *illĭŭs modi* legi non potest: nam initio versus anapaestica cum iambica voce prave coniungeretur.

Illius:

7) Ad. 261.

Quid est? : : Quíd sit? : : *Illius* ópera, Syre, nunc vívo: festivóm caput.

Sic versum ut *sit* productum retineam mensus sum, non *quíd sit? illĭus*. Aliam rationem Ritschelius op. II 687 indicavit.

8) Phorm. 648.

Ut ad paúca redeam ac míttam *illius* inéptias.

In Tragicorum fragmentis tres versus Accii sunt:

1) Acc. 185.

Troía est testis: quaére ex aliis, qui *illi(us)* miseritúdine.

2) Acc. 268.

Quid agám? vox *illiust* : : Cérte idem omnes cernimus.

3) Acc. 579.

Sé venenis stérilem esse *illius* ópera et medicina aútumans.

Digitized by Google

Restant loci haud pauci, quorum de mensura accuratius quaerendum est. De quibus quo verius dicere possimus, antea num exempla genetivi *illius* paenultimam corripientis extent videamus.

Mensura *illĭus* postulatur:

1) Cas. V 4, 16.

Túi amoris causa égo istuc feci : : Ímmo ecastor *illius*.

De hoc versu v. Ritschel. opusc. II 681 s. adnot.

Eandem mensuram Ritschelius op. II 686. 687 in senariis:

2) Trin. 163.

Quid tíbi ego dicam qui *illius* sapiéntiam.

et 3) in versu Accii 465.

Omni *illius* par némo reperirí potest,

statuit.

Sed *illĭus* praestare videtur 4) Curc. 716.

Líbera haec est, híc huius frater est, haec autem *illius* soror.

Sic versus in libris est. Quo in versu *illius* formam aut _ ◡ ◡ aut ◡ ◡ ◡ habet utramque hoc loco non ferendam. Fleckeisenus alterum *est* delevit: *híc huius frater, haéc autem illiúst soror*. Pro *illiust* etiam *illius* esse posse et genetivi paenultimam, ut hoc versus loco solitus spondeus sit, producendam videri Ritschelius op. II 684 monuit.

Tribus prioribus locis cum *illĭus* certum sit, versus sunt, in quibus duplex vel etiam triplex vocis *illius* mensura admitti possit.

1) Cistell. IV 2, 100.

Illíus ego istanc ésse malo grátiam.

2) Andr. 810.

Quae *illíus* fuerunt póssidet: nunc me hóspitem.

3) Haut. prol. 33.

De *illíus* peccatis plúra dicet, quóm dabit.

4) Hec. 589.

Illíus stultitia víncta ex urbe tú rus habitatúm migres?

5) Acc. 201.

Qui *illíus* acerbum cór contundam et cómprimam.

His quinque versibus *illius* primum iambum tenens commune est. Potui etiam Ad. 441 addere: sed v. supra p. 16 n. 6. Usus poetarum vocem dactylicam paroxytonam a primo iambo non exclusit. Sed cum dactylus raro tantum admittatur, in omnibus autem illis quinque versibus etiam forma disyllaba esse possit, sine ulla dubitatione in versibus 1. et 5. *illĭus*, 2. 3. 4. *illi(us)* scribo. Nam quod versus 2. 3. 4. etiam anapaestum positione ex tribracho factum admittunt, ii numeri non solum meo quidem sensu soni minus grati quam forma disyllaba sunt, sed etiam disyllabum *illi* oxytonum multo propius ad genuinam prosodiam *illĭus* accedit. Sed in versu Hec. 232:

Digitized by Google

Íllius dices cúlpa factum? : : Haud équidem dico, mi Laches,

cum in primo septenarii pede vox dactylica offensione careat ideoque tam *illius* quam *illi* a poeta scriptum esse possit, *illíus* trisyllabum fortasse eo commendatur, quod tale versus initium:

Ílli(us) | díces | cúlpa | fáctum haud |

propter quattuor pedes disyllabos aliquid molesti habet.

Duplicem mensuram, aut trisyllabam amphibrachicam aut disyllabam, his quoque locis *illius* admittit:

1) Bacch. 494.
Mnésiloche, hoc tecum óro ut *illius* ánimum atque ingeniúm regas.

2) Capt. prol. 39.
Huius ílle, hic *illius* hódie fert imáginem.

3) Rud. prol. 51.
Is *illíus* laudare ínfit formam vírginis.

4) Ad. 533.
Quin tu ótiosus és: ego *illius* sénsum pulchre cálleo.

5) Ad. 722.
Boni *illíus* adulescéntis : : Ecce autém nova.

6) Haut. 195.
Atque haéc perinde súnt ut *illius* ánimust, qui ea póssidet.

7) Haut. 367.
Ut *illíus* animum cúpidum inopia incénderet.

8) Turpil. com. 211.
Hoc te óro, ut *illius* cónmiserescas miserulae orbitúdinis.

Quibus locis cur aut unam aut alteram mensuram praeferam non habeo, excepto versu 2. Capt. prol. 39:

Huius ílle, hic *illíus* hodie fert imáginem.

Accentus enim 'huius *ílle*, hic *íllius* hodie', eadem eiusdem vocis syllaba bis acuta, languidus est minusque unam personam alteri opponi perspicuum facit.

Restat ut de locis nonnullis dicam, quibus quamquam genetivum *illius* exhibent varias propter causas fides haberi non potest.

1) Versum Bacch. 487 libri sic tradunt:
Út opinor *illius* ínspectandi mi ésset maior cópia.
Opinor sive quod in versum quadrat *opino* cum hoc loco sana sententia careat, fortasse ex insequenti versu et ipso manco huc irrepsit. Quare cum *opinor* eiciatur necesse sit, varia sunt quae substituas. Ritschelius in editione *illi* inseruit; v. Ritschel. op. II 688.

2) Cist. IV 2, 79. In libris est:
Quid istúc negotist? aút quis es? : : Egó sum *illius* mater.
Cum *egō* in senario non admittendum sit, ordine verborum inverso legi potest: *Ego illius sum máter.* Ritschelius op. II 686 alium exitum versus fuisse conicit.

Digitized by Google

3) Mil. 987.

Quae haéc celox? : : Ancillula *illius* ést, quae hinc egreditúr foras.

Sic Ritschelius in ed. cum libris, nisi quod B alterum *quae* omittit et *focis* habet, scripsit. Sed post ea quae op. II 685 s. adn. 2. dixit, huic versui fides tribuenda non est. Etiam Brixius in ed. versum damnat.

4) Eun. 372.

Tu *illis* fruare cómmodis, quibus tu íllum dicebás modo.

illis CDG, *illius* BEP ILLIUS A, 'U' teste Umpfenbachio a correctore recentiore inductum est. Fleckeisenus *illius* scripsit: quod si recipitur, propter verba subsequentia eadem res eodem in versu bis dicitur. Quare ablativus pluralis praestat.

5) Turpil. 155 s.

iam désine
Meminísse *illíus* fórmam.

Sic Ribbeckius fragmentum discripsit; possunt etiam pro frustis senariorum cum Grautoffio reliquiae septenariorum trochaicorum statui:

iam désine
Méminisse *illius* fórmam

Quod si cui magis placet, *illi(us)* legere debet.

6) Versus Asin. 77:

Volo amori obsecutum *illius*, volo amet me patrem,

non solum a sermone Latino procul abest, sed etiam quos inter versus locum habet, plane est ineptus. A Fleckeiseno Ritschelio consentiente (op. II 689) eiectus est.

7) Versus Merc. 276 in Palatinis est:

Atque *illius* haec nunc simiae partis ferat.

A habet:

. . metuo ne illaec simiae partis ferat.

Ritschelius op. II 702 ss. utrumque versum damnat. Quam mutationem versus quem Palatini exhibent Ritschelius l. l. p. 705 adn. excludere voluerat: *atque illius hic nunc s. p. f.*, eam nunc Niemeyerus de Plauti fabul. dupl. rec. p. 43 s. reducere conatur: mihi non persuasit.

Omnes locos qui genetivum *illius* exhibent enumeravimus. Iam quas rationes in variis formis adhibendis usus secutus sit, exempla cuiusque formae conferentes expediamus.

Illíus paenultima producta paroxytonum extat locis 33 (v. supra p. 4 ss.).

Plauti sunt . .	27
Terentii . . .	3
Afranii . . .	3
Fortasse accedit	1 (Capt. prol. 39, v. pag. 18.)
Summa est	34

Digitized by Google

Disyllabi genetivi certa exempla inveniuntur:

apud Plautum (pag. 15)	11
apud Terentium (pag. 16)	8
apud Accium (pag. 16)	3
Summa est	22.

Addendi sunt loci quibus forma disyllaba paulo minus certa est:

Plauti (Cist. IV 2, 100, pag. 17) . . .	1
Terentii (Andr. 810. Hec. prol. 33. Hec. 589, pag. 17)	3
Accii vers. 201 (pag. 17)	1
Summa est	5.

Omnia certa (22) et paulo minus certa (5) exempla formae disyllabae numero sunt 27.

Mensura *illĭus* extat tribus locis.

Plautini sunt (Cas. V 4, 16. Trin. 163, pag. 17)	2
Accii (vers. 465, pag. 17)	1
Fortasse accedit Ter. Hec. 232 (pag. 17 s.)	1
Summa est	4.

Habemus igitur *illĭus* . . . . . 35 fere locis
formam disyllabam . . . . 25 fere locis
formam *illĭus* . . tribus quattuorve locis.

Quibus e numeris collegendum est, tempore veterum poetarum formas disyllabas haud multo minus quam genuinam *illĭus* usurpatas esse, raro autem formam *illĭus*. Cuius formae exemplorum paucitas si cui mira videtur, is in memoriam sibi revocet, posteriore tempore utrum disyllaba forma an trisyllaba *illĭus* magis in usu cotidiano fuerit, nos plane nescire. Nam quod Ciceroni *illius* in verbis Fannii: *Sí, Quirités, minas illius* creticum sonare visum est, ex eo nihil aliud nisi hanc mensuram in usu fuisse, non praevaluisse cogendum est.

Unum etiam est quod neglegendum non videtur. Plautus *illĭus* viginti septem, Terentius tribus locis usurpavit, formarum autem disyllabarum Plautus undecim, cum uno minus certo exemplo duodecim, Terentius octo, cum minus certis undecim exemplum habet. Ergo Plautus genuina forma et mensura *illĭus*, Terentius breviore forma plus dimidio magis quam altera usus est. Quae res casui tribui posse videtur: sed minime casum, sed constantem usum in ea valere infra videbimus.

B. *Isti(us) (isti), istĭus.*

Certissimum genetivi *isti* exemplum in versu Trucul. V 38 est:

Quí, malum, bella aút faceta's, quaé ames hominem *istí modi? isti modi* BC, *istimodi* D. Accedit quod consociationem *isti modi* non solum similis *illi modi* defendit, sed etiam teste Prisciano I

Digitized by Google

228 H. Cato de moribus Claudii Neronis *isti modi* dixit. Quo minus eam formam aliis quoque versibus reddere dubito:

2) Epid. I 2, 16.
Málim *isti modí* mi amicos fúrno mersos quám foro.

3) Merc. 144.
Ápage *isti modi* salutem, cúm cruciatu quae ádvenit.

4) Most. 746.
Patróne, salve : : Níl moror mi *isti modi* cluéntis.

5) Rud. 321.
Cum *istí modi* virtútibus operísque natus quí sit.

6) Haut. 387.
Ét vos esse *istí modi* et nos nón esse haud mirábilest.

7) Acc. trag. 136.
⏑ ∪ – ∪ quánto magis te *istí modi* esse intéllego.

De versibus 2. 3. 4. 7. Ritschelius op. II 691 s. disputavit. Praeter mensuras genetivi *istius* ab eo exclusas una etiam in omnibus esse potest: *istíus módĭ*. Sed numeri multo tranquillius et lenius procedunt, si brevior forma *isti* accipitur. Deinde unum etiam est, quod *isti modi* praeferre suadet. Apud veteres enim poetas scaenicos *quoius modi*, fortasse etiam *cius modi* constanter, fere constanter *huius modi*, genetivis *quoius cius huius* monosyllabis factis, priorem syllabam vocis *modi* non acuunt, sed prosodiam *quoíus modi*, *cíus modi*, *huíus modi* ostendunt; qua de re infra dicemus. In versu 5. Rud. 321 ne sic quidem legi potest: *Cum ĭstŭ́is mŏ́di virtutibus*, vox enim iambica cum anapaestica continuata initium versus faceret. Quod cum in senario vitiosum sit, etiam a septenario iambico, qui leges vix minus severas sequitur, secludendum est. Neque magis in eodem versu dactylum in primo pede *cum ĭstĭ́ŭs modi virtutibus*, ubi melior mensura praesto est, admittimus.

8) Trin. 552.
Aequóm videtur, quí quidem *istius* sít *modi*.

Cum *ĭstĭus* non admittendum mihi videatur (v. p. 10), nihil mensurae *qui quidem ĭstíus* obstat. Sed similitudo constantis consociationis *isti modi* tanta est, ut licet *istius* et *modi* intercedente vocula *sit* distineantur, fortasse hoc quoque loco scribendum sit *qui quidem isti sit modi*. Hic versus cum genetivus *modi* a genetivo *isti* seiunctus sit, duos genetivos continuo ordine se excipientes non constanti in usu fuisse ostendit.

Paucis locis genetivus disyllabus *isti(us)* absque *modi* positus agnosci potest. Optime accidit, quod etiam *isti* solius libri exemplum servarunt: Haut. 382:

Íd quom studuisti, *isti* formae ut móres consimilés forent.

isti in DEG deest, haud dubie propter parem antecedentis *studuisti* terminationem elapsum; ceteri retinuerunt. Cum *similis* et *consimilis* non solum apud Plautum, sed etiam apud Terentium cum

Digitized by Google

genetivo ponantur (v. Ritschel. op. II 570 ss. 579 ss. inprimis 572 adn. 2 et nostro de loco 580 in fine), *isti* necessario genetivus est. Eandem formam Phorm. 969 scribo:

Non hércle ex re *isti(us)* me instigasti, Démipho.

Neque enim *istĭus* admittendum est neque *istīus* pro trochaeo positum.

In fragmento incerti poetae tragici apud Ciceronem de off. III 26, 98 (apud Ribbeckium[2] inc. inc. v. 59):

istíus perspexet málitiosam audáciam,

et ipsa forma *isti* substituta dactylus primum pedem tenens evitatur.

Epid. V 1, 23:

Haéc edepol remoráta med est : ı Si quidem *istius* grátia,

et mensurae *Sí quidem istíus gratia* (vel *Sīquidem istíus grátia*) et huic: *Sí quidem isti gratia* locus est (v. Ritschel. op. II 690). Sed prior mensura propterea suavius in aures incidit, quod numeri *Sí quidem isti grátia* singulis vocibus singulos pedes efficientibus nimis tranquille decurrentes eo quem desideres motu carent.

Mensurae *istíus* attuli decem exempla: v. supra p. 6 s. (9 exempla) et de quo modo dixi Epid. V 1, 23. Plauti erant septem exempla, Terentii duo, Afranii unum.

Isti cum *modi* coniuncti octo exempla sunt, quorum Plauti in fabulis sex inveniuntur, unum apud Terentium, unum apud Accium est (v. p. 21 s.).

Isti(us) solius exempla duo Terentiana (Haut. 382, Phorm. 969) sunt. Huc si addis octo illa exempla *(isti modi)*, formam disyllabam decem locis habes.

Ístĭús nullo loco postulatur.

Cum decem exempla genetivi *istíus*, totidemque formae *isti(us)* sint, tempore Plauti et Terentii cotidianus hominum sermo utraque forma videtur pariter usus esse. *Istíus* apud Plautum septem, apud Terentium duobus locis invenitur, *isti* Plautus sexies nusquam non cum *modi* coniunctum, Terentius ter usurpavit. Quorum trium exemplorum cum unum *isti modi*, duo solum *isti(us)* a Plauto nusquam dictum ostendant, Terentio pariter ac formam decurtatam genetivi *illius* etiam *isti(us)* magis placuisse iure quodam conicimus.

C. Genetivi *ipsi* exemplum Priscianus I 227 H. ex Omine Afranii affert:

1) Afran. 230.

Ipsí me velle vestimenta dícito.

Ribbeckius cum in indice p. 433 *ipsi pro ipsius?* scribat, dubitare videtur, num *ipsi* genetivus sit. Ritschelius quoque op. II 692 s. silentio praeterit. Ac concedendum est, Priscianum fortasse dativum pro genetivo habuisse.

Digitized by Google

2) Haut. 576.

Apud álium prohibet dignitas, apud álium *ipsius* facti pudet.

Ipsius ita tantum servari potest, ut prosodia _ ◡ ◡ licentiae iambici octonarii concedatur. Sed satius est non praeter necessitatem in licentia illa requiescere. Quare si numeris versus nostri severas quae in senario valent leges adhibes, cum neque ´_ ◡ ◡ neque ◡ ◡ ◡ metiri possis, mensuram ◡ ◡ ⏑ ultima syllaba positione producta accipias necesse est; quod propter proceleusmaticum fieri nequit. Ergo forma *ipsi* revocanda videtur.

3) Phorm. 725.

Volo *ipsius* quoque voluntáte haec fieri, né se eiectam praédicet.

Sic libri octonarium iambicum tradunt. Etiam hoc in versu mensura *volo ipsĭus quoqué voluntate* inter iura octonarii referri potest. Quam excusationem si minus probas, neque *ĭpsĭus* neque *ĭpsĭus* in versum inducere potes. Nec sola forma *ipsi* adhibita versus emendatur: pariter enim *ipsi* atque *ĭpsí*, cuius correpta prior syllaba nihil excusationis habet, repugnat. Nihil restat nisi ut versus mutetur. Fleckeisenus quod *quoque* uncis includens damnat et *haec* ante *voluntate* ponit, fortasse ipsam corruptelae sedem perspicit. In versu autem qualem Fleckeisenus constituit *Volo ipsius haec voluntate fieri,* ne correpta priore vocis *ipsius* syllaba legamus *vŏlo ĭpsĭus haéc,* dubium non est, quin *Volo ĭpsĭus haéc* praestet.

Genetivi *ipsĭus* supra p. 7 singula apud Plautum, Terentium, Afranium exempla invenimus. Si Priscianus genetivum *ipsi* apud Afranium esse recte vidit eademque forma Haut. 576 substituenda est, duo haec exempla breviorem formam vix minus saepe quam longiorem frequentatam esse fortasse probant. Sed in tanta exemplorum ne certorum quidem paucitate res admodum lubrica est. Locus Phorm. 725 incertus est.

D. *De genetivis in i vel ĭus desinentibus adiectivorum pronominalium nullus solus totus ullus unus uterque.*

I. *Nulli* in versu Ter. Andr. 608 et a Prisciano II 7 H., qui cum Charisio (p. 111 K.) consentit, et in libris traditur:

Mi óbtigisse, quándoquidem tam inérs, tam *nulli* cónsili sum.

Eadem forma postulatur:

2) Pseud. 1196.

Quem égo hominem *nullí* coloris nóvi : : Non tu istínc abis?

Libri omnes *nullius* praebent; sed *nūllĭŭs* dactylus paroxytonus est.

II. Genetivo *soli* Prisciano I 227. 266 H. teste Cato usus

Digitized by Google

est. Quae forma Haut. 129 dactylico quod in libris est *solius* longe praestat:

Soli(us) solliciti sínt causa, ut ne unum éxpleant.

III. *Toti* Priscianus I 227. 266 H. Afranium in Suspecta (v. 325 R^2) dixisse tradit:

Adeo út te satias cáperet *toti* fámiliae.

IV. *Ulli* in versu Trucul. II 2, 38 et testimonio Prisciani I 228. 266 H. et librorum scriptura confirmatur:

Túo potestatém coloris *úlli* capiendí mala.

V. Etiam genetivum *uni* Priscianus I 227. 266 H. servavit. Fragmentum enim ex Barbato Titinii (v. 6 s. R^2.) affert:

⏑ ⏓ ⏑ ⏑ ⏓ ⏑ – quod quídem pol mulier dícet

Namque *úni* collegí sumus.

Accedit versus Stichi 729, quem locum Usenerus mihi indicavit[1]):

Hóc memorabilést: ego tu sum, tú's ego: *uni* animí sumus.

uni animi BCD; *unanimi* non recte Ritschelius et Fleckeisenus vestigiis primitivae dictionis oblitteratis.

Eidem formae Haut. 205:

Uní modi sunt férme: paulo qui ést homo tolerábilis,

in similitudine consociationum *illi modi, isti modi* eximium praesidium positum est. In libris *unius modi* est.

In versu Turpilii (99 R^2) apud Nonium 256, 21 utrum *úniús* an *uni* legendum sit dubium est:

Numquam *únius* me cómparavi sérvire eligántiam.

Sic Ribbeckius scripsit. De mensura *únĭus* certum Quintiliani testimonium extat. Is enim I 5, 17 initium versus Aen. I 41 *Unius ob noxam et furias (Aiacis Oili)* afferens *unĭus extra carmen,* inquit, *non deprehendas,* in carmine vitium non esse addens. Quintiliani igitur aetas, cum Ciceronis tempore *illius* etiam in vita cotidiana correpta media syllaba pronuntiaretur, iam ad severiorem usum redierat. Turpilio vero in octonario illo iambico prosodiam *únĭus* quominus tribuamus nihil est quod obstet. Potest quidem versus Turpilii etiam fuisse:

Númquam *uní(us)* me cómparavi sérvire eligántiam,

aut cum Bernensis et Montispessulanus Nonii (v. Ribbeck. coroll. ad com. p. XXXVI) praebeant *numquam me unius* etiam sic:

Númquam me *uni(us)* comparavi sérvire eligántiam.

VI. Genetivus *utriusque* semel extat:

Trucul. IV 3, 20.

Cónveniunt adhúc *utriusque* vérba : : Vae miseró mihi.

---

1) Facere non possum quin hoc loco H. Usenero, viro humanissimo, qui mihi data occasione haud pauca, quae magnae fuerunt huic disputationi utilitati comiter suppeditavit, debitas agam gratias, pariterque O. Ribbeckio, viro optime de me merito, cuius ut olim Heidelbergae uberrima fructus sum disciplina, sic etiam hac in re benignam in me sum expertus voluntatem.

Digitized by Google

Hoc loco quamquam brevior genetivus fuisse potest, tamen *utrĭúsque* sine ulla offensione est, praesertim cum etiam multo posteriore tempore Phaedrus et Seneca in senariis eandem mensuram admiserint (v. Ritschel. op. II 694).

Pronominalium *nullus solus totus ullus uterque* genetivi in *ĭus* terminati non extant. *Nulli* duobus, *soli toti ulli* singulis locis, *uni* ter usurpari invenimus. Cum genetivus *uníus* bis occurrat (v. supra p. 8), formam breviorem et longiorem iuxta in usu fuisse fortasse conicere licet. Quamquam in universum dicendum est, nos ne nodum in scirpo quaerere videamur, numeros tam exiguos non nimis exiliter ad calculos vocare debere.

III. De genetivo 'alterius'.

De genetivo *alterĭus* qui unus, cum ceteri genetivi trium syllabarum sint, quattuor habet, cum Ritschelius op. II 663 ss. 667 ss. 694 ss. tam ubere tamque accurate egerit, ut omnis quam de genetivis in *ĭus* desinentibus instituit disputatio ab hac forma proficisceretur et ad eandem rediret, fieri non potest, quin nostra quoque disputatio in iis quae vir doctissimus indagavit acquiescat.

Genuinae prosodiae *alterĭus* haec exempla sunt:

1) In versu cretico Ter. Andr. 628.

Álterīŭs sua ut cómparent cómmoda? ah.

2) Publ. Syr. 50 R².

Bis ést mori *alterĭus* arbitrió mori.

Versus qui est in Appendice Sententiarum Publilii Syri apud Ribbeckium 197: Turpís tristitia in *álterĭus* cómmodost, ut omnes fortasse, qui ea in congerie sunt versus, tam incertae originis est, ut eum nominasse satis sit. Ritschelius mensuram *alterĭus* veterum poetarum scaenicorum tempore in usu fuisse etiam Ennii versu ex libro VI Saturarum sumpto (apud Donat. ad Ter. Phorm. II 2, 25 = Vahlen. sat. rel. v. 29 p. 158) probat:

Mox dum *álterius* ábliguriás bona.

Mensuram *altérĭus* cum olim Ritschelius ad Publilium Syrum non admiserit (v. op. II 662 ss. 667 ss.), nunc formarum *íllĭus ístĭus* ratione habita ei concedit (l. l. 697). Ego quamquam non pari atque Ritschelius multitudine exemplorum *íllĭus ístĭus* probantium utor, quippe qui eos genetivos tribrachicos proparoxytonos non admittam, tamen de prosodia illa minime dubito. Primum enim exempla quaedam cretici *illius*, ultima syllaba positione producta, manent, quorum similitudo etiam *altérĭus* probabile reddit. Alterum autem et gravius est, quod Phaedrus et Seneca mensura *altérĭus* usi sunt; exempla Ritschelius op. II 696 congessit. Apud Senecam autem ceteri in *ius* desinentes genetivi, excepto uno etiam *utriusque*, litteram *i* quae paenultimam efficit iam constanter producunt. In primo senarii pede est *ipsíus* Herc. fur. 484. 485.

Digitized by Google

489 Peip.-R., *illíus* Med. 732, *uníus* Herc. fur. 1273. Phaedr. 488. In versu asclepiadeo Med. 94 *unius facies praenitet omnibus,* cui generi Horatio praeeunte poetae Romanorum constanter basim spondiacam dederunt, pariter *i* producitur, neque aliter in fine senarii Oed. 326 *unius sacri,* Tro. 212 *unius manu*; quintum enim in pedem Seneca iambum non admittit. Eadem in condicione est Tro. 701 *nullius pedes.*

Alterĭus igitur, quod Phaedrus et Seneca retinuerunt, cum eo tempore usitatum fuerit, ea prosodia sine dubio ad antiquam aetatem ascendit. Quare non merito a veteribus poetis scaenicis excluserunt ii, qui pro ea formam *altrius* ponendam esse putarunt.

Loci quibus *altérĭus* occurrit hi sunt:

Capt. 306.

Qui imperare insuéram, nunc *altérius* imperio óbsequor.

Ego Ritschelio op. II 694 *altérĭus* hoc loco sollicitandum non esse assentior. *Altrĭus* quod a Ritschelio op. I 436. II 673 s. propositum Brixius recepit, potest quidem fuisse; sed cur dubio *altrĭus* multo certius *altérĭus* postponamus? Ceterum ne *alĭus* quidem nostro loco offensionem habere Ribbeckius coroll. ad com.[2] p. X probat.

Pariter de aliis quoque versibus iudicandum est:

Publ. Syr. 297 R[2].

Lucrúm sine damno *altérius* fieri nón potest.

Ritschelius versum genuinis Syri in sententiis non habet; v. op. II 666. 672.

Publil. Syr. 372 R[2].

Misérrimumst arbítrio *alterius* vívere.

Ribbeckius ad l. num *alĭus* scribendum sit dubitat. Hunc genetivum Publ. Syr. 150 R[2]

Ex vítio *alterius* sápiens emendát suum

Ritschelius op. II 667. 675 et cum Ritschelio Ribbeckius in altera editione posuit, sed Ritschelius ipse op. II 697 mensuram *alterĭus* Publilio Syro reddidit.

In omnibus Publilii Syri versibus eo minus in mensura *altérĭus* offendendum est, quod Syrus aequalis Ciceronis erat, Ciceronis autem tempore usus cotidianus etiam paenultimam genetivi *illius* corripiebat.

Unus locus restat tam corruptus, ut nostrum ad usum adhibere non possimus:

Truc. I 1, 27. Versus in Palatinis et in Vaticano sic legitur:

Sin alter (aliter C) alteri potius est idem perit.

Spengelius edidit:

Sin álter altri pótior est, itidém perit.

Alia Buechelerus in Fleckeiseni Annall. 105 (1872), 529 et Geppertus in editione coniecerunt. Ribbeckius coroll. ad com.[2] p. X s.

Digitized by Google

totum hoc loco sermonem turbatum existimat nostrumque versum sic emendat:

Si aliéna re potítus est, perdít fidem.

IV. Summa prioris partis disputationis exhibetur.

Iam ea quae huc usque reperimus breviter comprehendamus.

I. In sermone cotidiano temporis Plauti et Terentii formae quaedam disyllabae genetivi pronominum et adiectivorum pronominalium in *i* (*ius*) terminatae frequentabantur. Formas in *i* desinentes etiam scriptas esse certum est, terminatio *is* scriptura, nisi quod *alis* traditur, non videtur expressa esse.

II. Breviores illi genetivi pari fere in usu ac solitae in *ius* trochaicum desinentes formae erant. Manserunt quantum scimus quaedam earum (*alii*) usque ad Caesaris aetatem. Terentii tempore breviores formae, cum apud Plautum rarior eorum usus sit, longioribus etiam praelatae esse videntur.

III. Genetivorum antepaenultimam corripientium creticique accentum habentium nisi perrara pronominis *ille* exempla apud veteres poetas scaenicos non inveniuntur.

IV. Genetivi tribrachici proparoxytoni *illius* et *istius* damnandi sunt.

V. Genetivo *modi* accedente, genetivorum pronominum formas decurtatas constantes fuisse veri simillimum est.

VI. *Alterĭus* iuxta atque *altĕrĭus* usurpabatur.

Ciceronis tempore praeter solitas formas et genetivi breviores et formae trisyllabae paenultimam corripientes etiam in usu fuerunt. Varro et Caesar *alii* scripserunt, *illĭus* in sermone vitae communis fuit, Catullus, ne de poesi dactylica dicam, genetivis in *ius* terminatis nisi paenultima correpta non est usus; v. Ritschel. op. II 679. Aetas Augusti mensuram *ĭus* reliquisse et genetivos paenultimam producentes exceptis *alterĭus* et *utrĭusque* solo in usu habuisse videtur. Quo magis formis in *i* (*ius*) desinentibus eam abstinuisse coniciendum est. *Utrĭúsque* et *altérĭus* etiam apud Phaedrum et apud Senecam inveniuntur. Quintiliani tempore *ūnĭus* e vita communi ad solum poetarum usum abierat. Insequenti deinde tempore productio paenultimae adeo increbruisse videtur, ut circa finem tertii p. Chr. n. saeculi Terentianus Maurus ne *altérĭus* quidem admitteret, sed *alterĭus* scriberet:

v. 1352 (p. 366 K.):

Séscuplo vel úna vincet *álterius* singulum.

v. 1611 (p. 373 K.):

Sub *álterius* cónsonat vocábulo.

v. 2184 (p. 391 K.):

Nec *álterius* índigens opis veni.

Digitized by Google

Sed ut ex omnibus genetivis in *ius* desinentibus *altĕrĭus* etiam a Seneca usurpatum diutissime correptionem retinuerat et ipsam postea nimis severe oppressam, ita ea forma Prisciani tempore i. e. circa annum quingentesimum p. Chr. n., cum ceteri genetivi omnes producta paenultima pronuntiarentur, locum suum iam recuperaverat. Priscianus enim I 228 H. *et sciendum*, inquit, *quod in ius terminantium genetivus producit paenultimam, nisi poetica auctoritas eam corripiat, excepto alter alterius, quod ideo magis correptam habuit paenultimam, quod duabus syllabis vincit genetivus. Terentianus tamen invenitur huius etiam paenultimam produxisse in trochaico metro, quod est ex septem pedibus et syllaba:*

Séscuplo vel úna vincet álterius síngulum;
sextus enim pes vult a longa incipere.

Ea quae de varia quae fuerit per tempora genetivorum in *ius* desinentium fortuna diximus, conspectum qui apud Ritschelium op. II p. 696 est mutantes et ea quae reperisse nobis videmur addentes sic fortasse exhibere licet:

	Pariter in usu cotidiano fuerunt:		Rarius usurpatum est:
Tempore Plauti et Terentii (VI saec. a. U. c.) et insequenti saeculo: . . .	*ĭus*	*i* (*ĭus*) nisi quod breviores formae Terentii tempore iam praevaluisse videntur.	*ĭus*
Ciceronis aetate (exitu VII et initio VIII saeculi):	*ĭus*	*ĭus* (*illĭus*)	*i* (*alii*)
Quintiliani tempore i. e. altero dimidio VIII saec. et initio insequentis saeculi a. U. c. = I saec. p. Chr. n. (Phaedrus, Seneca, Quintilianus):	*īus* fere solum dicitur.		*ĭus* solis in genetivis *ŭtrĭúsque* et *altĕrĭus* usus cotidianus retinuisse videtur; aliorum pronominum genetivum *ĭus* poetae tantum interdum (*unĭus*) usurpant.
Apud Terentianum Maurum (exitu III p. Chr. n. saec.):	*ĭus* unice in usu est.		
Prisciani tempore (circa finem V p. Chr. n. saec.):	constanter *ĭus* excepto uno *altĕrĭus* pronuntiatur.		

Digitized by Google

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

PARS ALTERA.

De genetivis in ius desinentibus, qui ante terminationem vocalem habent.

Tres genetivos *eius huius quoius* propterea una tractabimus, quod iis stirps in vocalem desinens eamque servans communis est. Quo factum est, ut littera *i* accedentis terminationis *ius* in vim consonantis abierit et genetivi illi ipsi formam disyllabam mensuramque trochaicam nacti sint.

Scriptura *quoius*, cum veteres Romanorum poetas scaenicos eam formam unice in usu habuisse, *cuius* autem aetatis demum inferioris esse constet, ego hac in disputatione constanter utar. Ambrosianum quidem codicem Plautinum qui scripsit iam recentiorem formam *cuius* praefert, sed multis locis Vetus Camerarii liber, quem talibus in rebus vetustatis speciem multo maiore fide quam Ambrosianum servasse notum est, interdum etiam Decurtatus antiquam formam *quoius* retinuerunt. Exempli gratia locos Trinummi huc pertinentes affero: Arg. 9 *cuius* C *quo ius* B; 501 *cuius modi* A *quoius modi* BC; 533 *cuius* A *quo ius* B *quouis* vel *quo uis* CD; 534 *cuium* A *quoium* B *ciuiũ* C; 536 *cuius* AC *quo ius* B; sed v. 358 omnes libri *cuius* exhibent. Pariter aliis in formis AC recentiorem scripturam praebent, antiquiorem B: Trin. 1126 *cui* AC *quoi* B; sed v. 45 *quia, q* littera pro *c* posita, A, *cuia* BC. Inter Terentii libros nullus ne Bembinus quidem est, qui vel uno loco formam *quoius* servaverit. Etiam forma duplice *i* scripta in libris superest: nihil enim aliud nisi *cuiius* esse potest, quod Most. 1067 Ambrosianus CU··US praebet. Est duplex illa *i*, quae etiam Ciceronis tempore inter duas vocales, ubi *i* consonantis vim habebat, scribebatur. Pariter genetivus pronominis *is* in codice A geminata *i* scriptus invenitur. EIIUS Trin. 430 in A est, versui 957 Mostellariae Studemundus in Fleckeiseni Annall. 93 (1868) p. 55 vindicat.

I. Quibus locis 'quoius' genetivus pronominis 'qui' vel 'quis', quibusque masculinum pronominis possessivi 'quoius a um' sit quaestio instituitur.

Priusquam ad locos quibus genetivi *eius huius quoius* extant percensendos accedamus, quaestio quaedam absolvenda est, de qua nisi antea statuerimus, in genetivi *quoius* formam et mensuram inquirentibus dubitationes nobis quin occurrant fieri non potest. Notum enim est, ut a pronominibus personalibus possessiva pronomina derivata sunt, sic etiam pronomen relativum *qui* vel interrogativum *quis* possessivum suum *cuius a um* (*quoius a um*) habere. Cuius pronominis possessivi cum genus femininum *cuia* et neutrum

Digitized by Google

cuium certis exemplis haud raris probetur, de forma masculina non aeque simplex quaestio est. Nam genetivus pronominis pariter ac masculinum possessivi *cuius (quoius)* est. Sententia autem locorum ipsorum, quibus forma *cuius* invenitur, si quis exempla quibus *cuia* aut *cuium* est secutus utrum possessivum an genetivus sit indicio uti velit, is ut quidquam proficiat valde vereor. Nam qui versus, qui in libris sunt tales:

Rud. 745.

Árgentum ego pro istísce ambabus (scil. mulieribus) *quoíae* erant dominó dedi.

et Stich. 545.

Deínde senex ille ílli dixit, *quoíus* erat tibícina.

vel Bacch. 948.

Is Hélenam abduxit, *quoía* causa núnc facio obsidium Ílio.

et Capt. 1009.

Sálve Tyndare :: Ét tu, *quoius* caúsa hanc aerumnam éxigo.

examinaverit, subtiliore certe distinctione opus esse concedet, ut quid inter hunc et illum loquendi usum intersit indagetur. Sed fac tenue illud sententiae discrimen — atque est discrimen quoddam — exploratum sit: ecquis erit, qui cum in exemplis, quae femininum *quoia* vel neutrum *quoium* ostendunt, quo id sensu dixerint poetae perspexisse sibi visus sit, sola sententiae ratione adhibita ad masculinum *quoius* progressus singulis locis poetas aut genetivo aut possessivo debuisse uti contendere audeat?

Quae cum ita sint, alium aditum quo ad finem propositum perveniamus patefacere nobis opus est. Nam quae viri docti ad hanc rem expediendam attulerunt, inter quos inprimis Bergkius symbol. ad gr. Lat. I p. 58 ss. nominandus est, ea quaestionem non absolverunt.

Hic quaestio oritur, Romani, cum genetivus *cuius* et possessivum *cuius* plane eandem formam habeant et in eadem significatione versentur, num ipsi duo illa *cuius* esse etiam senserint, immo num unus locus qui masculinum pronominis possessivi fuisse probet, extet. Quarum quaestionum primum ad alteram respondebo opponens versum Terentii Andr. IV 4, 24 = 763:

Cedo, quóium puerum hic ádposisti? Díc mihi.

Hoc loco *quoium* nihil aliud nisi possessivi masculini *quoius* accusativus esse potest. De genetivo pluralis relativi pronominis *quoium* fortasse Plauto adiudicando quominus cogitemus, sententia loci prohibet. Davus enim interrogatione illa nihil aliud vult nisi ut Mysis nomen patris pueri i. e. Pamphili edicat et ut Chremes quid Pamphilus in se admiserit audiat. Mysis tamquam haesitans respondet *vostri* scil. puerum. Cum Davus pergat *quoius nostri?* illa *Pamphili* respondet. Cum igitur *quoium* solum ad patris nomen spectet, pronomen possessivum est. Quod in responsione genetivus *nostri* est, pariter Plautus Trin. 45 s. scripsit:

Digitized by Google

Quoía hic vox prope mé sonat?
: : Tui bénevolentis.

Iam de priore illarum quaestionum videamus. Ad quam cum responderimus, simul difficultas illa supra indicata, quanam via ad cognoscendum, utrum *quoius* genetivus, utrum possessivum sit pervenire possimus, fere tota remota erit. Aliud autem ea in re auxilium non est, nisi quod exempla femininum *quoia* ostendentia praebent. Id enim ad substantiva quaedam pertinens tam constanter apud poetas scaenicos redit, ut ex ea consociatione etiam de masculino coniecturam facere liceat.

Sed antequam eam rem exemplis ipsis tractandis perspicuam faciamus, ea quae veteres grammatici de possessivo *cuius a um* protulere, quamquam neque multa neque sana sunt, proponere placet. Recte Priscianus II 179 H. *cuius a um* tam relativum quam interrogativum esse posse allatis Vergiliano illo *cuium pecus?* et versibus Terentii Eun. 321: *virgo quoiast?* et Andr. 932: *quoiam igitur? : : Fratris filiam,* deinde loco e Verrinis (II 1, 54, 142) sumpto: *ut optima condicione sit is, cuia res est, cuium periculum* docet. Idem I 595 H. *cuia* pariter ac *mea tua e. q. s.* pro genetivo primitivi (i. e. pronominis *qui*) cum verbis *interest* et *refert* poni Ciceronis pro Vareno verbis probat: *ea caedes si potissimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit.* Sed commentum est, quod Priscianus haud dubie Vergiliano *cuium pecus* in errorem inductus II 179 H. masculinum *differentiae causa* i. e. ne cum relativo confundatur, in fine acui dicit. Non solum enim ratio repugnat, sed etiam Terentii versus supra allatus Andr. 763:

Cedo, quoíum puerum hic ádposisti?

accusativum masculini paroxytonum ostendit. Alium quoque grammaticorum errorem idem ille Terentii versus redarguit. Cledonius enim p. 53 K. scribit: *eccum eccam, ellum ellam, cuius cuia cuíum cuiatis: ista omnia anomala sunt, non declinantur, nam cuium pecus? auctoritas praesumpsit.* Grammaticus igitur *cuium pecus* ne recte quidem dictum, sed Vergilii auctoritati tantum concedendum esse dicit: nimirum *cuium pecus* accusativum esse putat et cum totus Vergilii versus sit:

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

aut cum antecedente *dic* coniungit aut *habes* vel tale aliquid supplet. Sed fortasse quod in excerptis adnotationibusque Cledonii mirum non est, locus nescio quo casu turbatus est. Augustinus in Arte breviata p. 494 K. *cuius a um* declinat quidem per singularem et pluralem trium generum, sed *eam declinationem plus artis quam ponderis gerere* dicit: *nam nimis vetus est et a nostra consuetudine repudiata.* Quae deinde addit, vel maxime mira sunt. Dicit enim, consuetudinem ista (i. e. formas possessivi *cuius*), quamvis in eis auctoribus inveniantur, qui sint in manibus et in ore

Digitized by Google

omnium, tamen contempsisse: *per unum enim pronomen, id est 'cuius' vel 'quorum' omnia infinita possessiva significantur. dicimus enim 'cuius' vel 'quorum' servus sive ancilla sive templum, sed, quod fatendum est, cum molestia discernendae ambiguitatis in genetivo singulari, quando 'cuius' dicimus, et in plurali, quando 'quorum'. 'cuius' enim et 'quorum' quando possessiva sunt, per casus non flectuntur.* Duo igitur et *cuius* et *quorum* esse Augustinus opinatur, quorum alterum possessivum pro formis possessivi *cuius a um* usurpatum, alterum genetivus pronominis sit, quorumque pari forma fiat, ut *cuius* vel *quorum* utrum sit quoque loco aegre discernatur: quae somnia silentio praetereo. Servius vero in commentario in artem Donati p. 436 K. *cuia et cuium* genetivos esse hariolatur, a quo loquacitate tantum differt Pompeius grammaticus 210 K., hanc in partem minor tamen auctore anonymo artis Bernensis 141 s. Hag. Nihili est etiam quod in Vergilii grammatici excerptis quae dicuntur p. 196 Hag. (cfr. etiam art. anon. Bern. 136 s. Hag.) *cuius a um* inter pronomina defectiva refertur: *sunt* (sc. pronomina) *quae tribus casibus flectuntur, ut 'cuius cuii cuio' 'cuia cuiae' 'cuium cuii cuio'.*

Quo minus sanae doctrinae veteres grammatici ad quaestionem nostram enodandam suppeditaverunt, eo magis nos quid proprio Marte valeamus tentare debemus. In enumerandis locis huc pertinentibus initium ab iis faciam, quibus *cuius a um* ad hominem qui in potestate domini alicuius est spectat.

Plauti hi loci sunt:

1) Cistell. III 1 s.

séquere mea Silénium,
Út eorum *quoiam* ésse oportet té, sis potius quám mea.

2) Merc. 199.

póstquam aspexit múlierem,
Rógitare occepít, *quoia* esset (scil. Pasicompsa).

Ad eandem Pasicompsam quattuor his locis eiusdem fabulae *quoia* pertinet:

3) Merc. 529.

Dic ígitur quaeso, *quoía* sum:: Tuo eró redempta's rúrsum.

4) Merc. 720.

Quoia illa mulier íntust?:: Vidistíne eam?

5) Merc. 721.

Vidí:: *Quoia* ea sit rógitas?:: Resciscám tamen.

6) Merc. 722.

Vin dícam *quoiast*? illa — illa edepol — vaé mihi.

7) Pseud. 1042.

Quoiam ésse te vis máxume, ad eum dúxero.

8) Rud. 745.

Árgentum ego pro istísce ambabus *quoíae* erant dominó dedi.

Labrax leno de mulieribus loquitur.

Digitized by Google

9) Epid. II 2, 111:

Égo illum conveniam átque adducam huc ád te, *quoiast* fídicina.

Qui locus quamquam turbatus est, verba tamen *quoiast fídicina* quin sana retinuerit non dubito. Varie versui mederi studuerunt Geppertus in ed., Reinhardtus in Studiis Studemundi I 105, Goetzius in Act. soc. Lips. VI 322 ss.

Accedunt Terentii loci:

10) Andr. 763.

Cedo *quoíum* puerum hic ádposisti? díc mihi.

11) Andr. 932.

Quid eám tum? suamne esse aíbat? : : Non: : *Quoiam* ígitur? : : Fratris fíliam.

12) Eun. 321.

Quid? vírgo *quoiast*? : : Néscio hercle : : Undést? : : Tantundem : : Ubi hábitat?

Uno loco apud veteres poetas scaenicos genetivum pronominis relativi possessorem mulieris significantem inveni:

Stich. 545.

Deínde senex ille ílli dixit, *quoius* erat tibícina.

ABCD pariter *cuius* exhibent. Sed magis quam consensus codicum consensus undecim locorum (omisso versu 10. Andr. 763) quibus *quoia* ad mulierem spectat, nos movere debet. Itaque Plautum nostro loco *quoía erat tibícina* scripsisse veri simillimum est [1]).

Exemplis supra enumeratis pronomen possessivum iis locis dici manifestum est, ubi de hominibus agatur, qui domini alicuius sint, de ancillis, de filio (Andr. 763), de filia (Andr. 932). Locutio vero illa *quoia est* sive interrogative tam directe quam oblique sive relative posita tam constanter usurpatur, ut exempla Cist. III 2, Merc. 529. 720. 721. 722. Pseud. 1042. Rud. 745. Andr. 932. Eun. 321. secutus etiam de masculino statuere posse mihi videar. *Quoius* igitur quinque his locis possessivum esse pro explorato habeo:

1) Amph. 346.

Póssum scire, quó profectus, *quoíus* sis aut quid véneris? : : Húc eo, mei erí sum servos.

2) Amph. 375.

Quóius nunc es? : : Túus, nam pugnis úsu fecistí tuom.

3) Amph. 378.

Quoíus es? : : Amphitruónis inquam Sósia : : Ergo istóc magis.

Quibus tribus locis Sosia servus interrogatur.

4) Truc. II 7, 44.

Lóquere, unde's, *quoius és*, quor ausus' mi ínclementer dícere? : : Lubitumst.

1) Sed qui alterum Mercatoris argumentum scripsit, v. 4 s. fecit:
Pater ádvolat, visam *áncillam* [illam] déperit,
Quoiús sit percunctátur.

Digitized by Google

Stratophanis ad Cyamum servum interrogatio est. Similis est versus supra allatorum duodecimus Eun. 321. In versibus 1. 3. 4 pariter atque in eo quem iis addimus quintum Haut. 996 *quoius* monosyllabum est.

5) Haut. 996. Syrus servus v. 985 ad Clitiphonem adulescentem *non,* inquit, *esse horum* (i. e. tuorum quos esse putas parentum) *te arbitror* (scil. filium). Deinde cum idem illi suppeditaverit, unde cognosceret, num vere filius eorum quos ad id tempus parentes suos esse crediderit esset, v. 995 pergit:

> Si nón est verum, ad misericordiam ámbos (i. e. parentes) adducés cito,
> Aut scíbis *quoius* sis.

Cum v. 985 *horum* et v. 995 *ambos* dicatur, *quoius* genetivus esse non potest: nam ad similitudinem antecedentium *horum* et *ambos* poeta, si genetivum ponere voluisset, *quorum* dixisset.

Sed alii versus sunt, in quibus, quod ego quidem video, *quoius* genetivus est. Sunt versus Trin. 533. 536:

> 533. Neque úmquam quisquamst, *quóius* ille agér fuit,
> Quin péssume ei res vórterit. quoiúm fuit,
> Alii éxolatum abiérunt, alii emórtui,
> Alií se suspendére. em nunc hic *quóius* est,
> Ut ad íncitas redáctust.

Initium a quaestione, num *quoium* v. 534 genetivus pluralis relativi an neutrum singularis possessivi sit, faciendum est. Quorum prius Buechelerus de decl. 46 Charisii (162 K.) testimonio nisus contendit, alterum Bergkio l. l. 61 s. placet. Sed Bergkii argumentatio mihi non persuasit: *quoium* enim, neutro pro masculino posito, ad antecedens *ager* referri posse Lucretii quos ille affert versus minime probant. Bergkius ipse p. 62 a genetivo plurali admittendo non plane abhorret, sed Servii ad Aen. I 95 de Catone testimonium secutus *quium* quam *quoium* scribere mavult. Quae duae formae, ut meam sententiam dicam, cum pro litteris *qu* ante vocalem *u* positis antiquiore tempore etiam sola *q* scripta sit, nullo omnino distineri discrimine mihi videntur. Genetivum *quius,* littera *u* vocalis et *i* consonantis locum tenente, etiam Terentianus Maurus 703. 774. 776 repetivit (p. 346 K.). Animum quaeso attendas quod et Charisius et Servius genetivum quem afferunt nominativo *ques* tribuunt. Charisius enim p. 162 K. declinat *quis . . . . pluraliter* '*ques cuium*' et paulo infra *quid . . . pluraliter* '*quae quorum*' *vel* '*cuium*'. Servius autem l. l. *Cato,* inquit, *in originibus ait:* '*si ques sint populi*' *et declinavit* '*ques quium*' *ut* '*puppes puppium*'. Cuius loci ultima verba haud dubie ignorantiae Servii vel quisquis hoc sub nomine latet tribuenda sunt. Nam cum bonus vir *quium* perverse legeret vocalem *i,* non *u* priorem vocis syllabam efficere opinatus, nominativum *ques* eandem declinationem quam *puppes puppium*

Digitized by Google

secutum olim esse sibi videbatur detexisse. Quae cum ita sint, *quoium* quod Trin. 534 B, CUIUM quod eodem loco A habet, deinde *cuium* Charisii, *quium* Servii omnia idem genetivus pluralis sunt. Ut autem *quoium* Trin. 534 genetivus pluralis est, sic etiam *quoius* v. 533 et 536 genetivum singularis relativi esse existimo.

Pariter genetivum inesse contendo versibus:

Amph. 861.

Ego sum ílle Amphitruo, *quoíus* est servos Sósia.

Genetivus, cum teste Pareo in Vetere *cui est* extet, aptior videtur, cfr. v. 394. 403; reliqui Parei Palatini *cuius est.*

Cas. III 6, 12.

Quis erus? : : *Quoius* tu servos es.

His duobus locis, cum in exemplis supra enumeratis possessivo *quoia* neque *ancilla* neque simile aliquid — *tibicina* enim tale non est — addatur, *servos* adicitur. Quare cum illis locis pronomen possessivum solum ponatur, his duobus, ubi notio additur, quae ipsa hominem, de quo agitur, domini alicuius esse declarat, genetivus e substantivo *servos* pendens sufficere videtur.

Iam ad ea exempla, quae *quoius a um* ad res inanimas relatum exhibent, transeamus. Ac primum quidem eorum in numero nil tam constanter quam *quoia* cum *vox* coniunctum occurrit. Exempla haec sunt:

1) Bacch. 979.
Quoíanam vox prope mé sonat?
2) Curc. 111.
Quoía vox sonát procul?
3) Curc. 229.
Quoíam vocem ego aúdio?
4) Merc. 864.
Néscio *quoia* vóx ad auris mi ádvolavit.
5) Pseud. 702.
Quoia [hic] vox sonat?
6) Rud. 229.
Quoía prope me hic vóx sonat?
7) Rud. 332. *Quoia* ad aúris
Vox mi ádvolavit?
8) Trin. 45.
Quoía hic vox prope mé sonat?

Ad alia substantiva possessivum *quoius a um* hisce locis pertinet:

9) Rud. 478.
Nam haec lítteratast; eápse cantat *quoía* sit.
scil. sacra Veneris urna v. 473.
10) Stich. 370.
Álius alium pércontamur: *quóiast* navis, quíd vehit?
11) Haut. prol. 8. nunc qui scripserit
Et *quóia* Graeca sit (scil. fabula).

Digitized by Google

Accedit versus:

12) Bacch. 948.

Is Hélenam abduxit, *quoia causa* núnc facio obsidium Ílio.

Quoius causa tribus locis in libris est:

1) Capt. 1009.

Sálve, Tyndare : : Ét tu, *quoius causa* hanc aerumnam éxigo.

2) Mil. 1009.

Séquere hac me ergo : : Pédisequus tibi sum : : Útinam *quoius causá* foras.

3) Andr. 772.

Ne illa íllum haud novit, *quóius causa* haec íncipit.

De his tribus locis infra p. 47 dicemus.

Iam rationes quasdam usus possessivi *quoius a um* proponere licet. Ac primum quidem pronomen illud ita tantum usurpatur, ut ad eos homines vel res qui in potestate domini alicuius sunt spectet. Quae vis etiam locutioni *quoia vox prope me sonat?* subest. Significat enim non solum *cuius ex ore verba quae audivi prodierunt?* sed multo maiorem gravitatem habet, ut sententia sit *quis est auctor vocis?* Usus igitur possessivi finibus certis et multo angustioribus quam genetivi circumcluditur. Genetivus enim cum unum ac totum significet, ad quod aliquid aliud quocumque modo pertineat, nexus multo laxioris nota est. Quare genetivus quin hisce locis intellegendus sit non dubito:

Men. 477. Most. 970. Hec. 571.

Hanc (scil. pallam), *quóius* heres númquam erit post húnc diem.

Philolaches hic hábitat, *quoius* ést pater Theópropides.

Si púerum ut tollam cógit, *quoius* nos quí sit nescimús pater.

Neque enim palla hominis neque filius patris dominus est.

Deinde animadvertendum est, veteres poetas scaenicos iam non solum possessivo, sed etiam ubi de rebus inanimis agitur genetivo relativi ad possessorem significandum uti. In versibus Rud. 963. 967. 1021. 1094:

Vídulum istum *quoius* est novi ego hóminem iam pridém. : : Quid est?

Égo illum novi *quóius* nunc est: tú illum quoius antehác fuit.

Sí veniat nunc dóminus *quoiust,* égo qui inspectaví procul.

Sí scelesti illíus est hic *quoíus* dico vídulus.

quoius ad *vidulum,* de quo sermo est, pertinet. In quarto versu *quoius* aperte genetivus est. Cui versui tanta cum tribus prioribus similitudo intercedit, ut Plautum in iis quoque *quoius* genetivum esse voluisse existimem. Accedit quod Plautus possessivum *quoius* praeter constantem locutionem *quoia vox* tam raro — sunt enim duo tantum loci Rud. 478 et Stich. 370 — ad res inanimas re-

Digitized by Google

fert, ut ubi dubia res est, genetivus praeferendus videatur. Cuius usus apud Terentium unum (Haut. prol. 8), locutionis autem *quoia vox sonat?* nullum exemplum est.

Fortasse viam, qua usus possessivi *quoius a um* decurrerit, hanc fere fuisse dicere licet. Antiquissimum exemplum in iure iurando militari quod Gellius (XVI 4, 2) in libro quinto Cincii de re militari legit superest: *si quid ibi invenceris sustulerisve quod tuum non erit . . uti tu . . domino suo cuium id censebis esse reddes.* Prisco tempore cum haud dubie latius is usus patuisset, Plauti[1]) et magis etiam Terentii tempore iam fere quibusdam tantum in locutionibus supererat. Eiusdem fere aetatis Catonis illud est de re rust. cap. 139: *Si deus, si dea es, quoium illud sacrum est.* Insequenti deinde tempore Lucilius (Non. 81, 31 *cuia pro cuius. Lucilius lib. XXX cuia* etc.; XXX v. 104 M.; v. 869 Lachm.) scripsit *cuia opera Troginu' calix per castra cluebat.* Sed ea aetate genetivus et possessivum etiam promiscue usurpantur: sic in Lege Repet. CIL. I 198, lin. 5 *aut quoius nomen . . delatum erit aut quoium nomen . . . exemptum erit,* lin. 29 *quoium nomen . . delatum erit,* lin. 10 *quoiave in fide is erit.* Sed *quoium* in Lege Agrar. CIL. I 200, lin. 10 *quo quis eorum, quoium eum agrum . . . . esse oportet* utrum possessivum an genetivus pluralis sit dubium est: v. Buechel. de decl. 46. Bergk. l. l. 62. Eiusdem legis lin. 8 *eum quoium (is ager locus aedificium est)* quantum de loco mutilato iudicari potest, neutrum possessivi agnoscendum videtur, v. Bergk. l. l.; lin. 9 deinde genetivus sequitur: *quoius eum agrum . . . (esse) oportet.* Postea usus possessivi recedit, retinent fere soli iurisconsulti. Quam enim propriam possessivi vim atque indolem esse supra diximus, eam vel maxime in rebus ad ius civile pertinentibus locum habere manifestum est. Eum usum in lege de Termessibus CIL. I, 204, II 3 (p. 114), quae temporis Sullani est, invenimus: *magistratus pro[ve] magistratu quoia de ea re iurisdictio erit.* Eiusdem aetatis est Auct. ad Herenn. IV 51, 64 *reperiunt domus cuia sit.* Cicero deinde in Verrinis possessivo illo utitur: II 1, 54, 142 *ut optima condicione sit is, cuia res sit, cuium periculum;* II 3, 7, 16 *ne is redimeret, cuia res esset;* II 3, 27, 67 *istum, cuia res erat;* pro Vareno apud Priscianum I 595 H. *ea caedes si potissimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit.* Augusti temporis Vergilianum illud est (ecl. III 1):

---

1) Holtzius synt. I 395 fragmentum Scythae Liturgi Plauto addictae: *Quoia, vir?* affert. Sed assumpsit ex fragmentis qualia Gronovius Plauto suo adiunxit, qui ipse in scribendo fragmento illo Scaligerum secutus est. Apud Varronem enim d. l. Lat. VII 66 in libris est: *in Sitellitergo idem ait: 'mulieres uxorculavit',* Scaliger nomen fabulae *Scytha liturgus* excogitans mutavit: *Mulier es, uxor, quoia, vir?* — Bergkius l. l. 58 ss. Poen. III 1, 32 *domino de quoio ederis;* Truc. II 3, 17 *de quoio esuri sient;* Truc. prol. 9 *quoia huc ventumst gratia;* Asin. III 1, 33 *qui dant quoia amentur gratia* coniectura restituit.

Digitized by Google

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

Pastor Menalcas dicit antiquiore vocabulo, ut rustici saepe talia servant, usus. Quod quantum eo tempore iam obsoletum et vile visum sit, testimonio est imitatio illa cavillatoris alicuius a Suetonio tradita (in vita Verg. p. 65 Reiff. cfr. Ribbeck. prolegg. ad Verg. 99):

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus anne Latinum?
Non: verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.

Etiam Servius Ter. Eun. II 3, 30 = 321 comparans adnotat: '*cuium*' *autem antique ait, vitans ὁμοιοτέλευτον, ne diceret* '*cuius pecus*'*: quod modo trium est generum. Antiqui dicebant sicut* '*meus mea meum*'*, sic* '*cuius cuia cuium*'. Tamen C. Plinius Secundus in controversia quadam (Gell. IX 16, 5) scripsit: *deinde, cuia uxor fuit, fortiter fecit.* Gellius deinde ipse, qui ut Frontonis discipulus vetustum admirabatur sermonem, causam forensem narrans *ei cuia res erat* dixit I 22 (falso Forcell. 21) 6. Finem Apuleius praeter ceteros priscorum ille scriptorum imitator facit, cuius de magia c. LXXXII p. 602 Hildebr. haec verba sunt: *cuiavis oratio insimulari potest.*

Restat ut locos, quibus *quoius* pronomen possessivum esse supra demonstrabam, enumerem; quorum ubi de genetivo *quoius* dicam rationem non habebo. Erant versus: Amph. 346. 375. 378. Truc. II 7, 44. Haut. 996, ad quos accedit Stich. 545.

II. De genetivis 'eius huius quoius' tam mensuram accentumque trochaei habentibus quam monosyllabis factis.

I. *De eius huius quoius mensuram accentumque trochaei habentibus.*

Cum usitata forma genetivorum *eius huius quoius* ea sit, ut trochaeum aequent, primum ea exempla enumeranda sunt: quorum versuum, nisi causae certae aliter postulabunt, numeri tantum nominabuntur. Formas eas ita notabimus, ut *éius húius quóius* scribamus.

A. *Eius trochaicum paroxytonum.*

Loci Plautini sunt:

Amph. prol. 108. Asin. 345. 393. 402. 531. 737. 811. Aulul. prol. 17. II 1, 52. Bacch. 21. 284. 559. 986. Capt. 748. Cas. I 24. II 8, 14. II 8, 44. III 2, 26. III 4, 13. Cist. I 2, 19. I 2, 25:

Suppósitionemque *éius* facere grátia.

Versum enim in A sic legi Studemundus petenti mihi liberalissime scripsit:

S·P·OSITIONEMQ/////USFA[ ] REGRAT[ ]
?? *) ?? *)

Digitized by Google

(*) foramina) Versum dedi qualem olim fuisse idem vir doctus veri simillimum esse addidit.

Cist. I 3, 16. I 3, 32. II 1, 38. II 3, 77. frgm. Ambros. v. 34:

Quid fáciam? : : Ad matrem *éius* deveniás domum.

Hiatui inter *faciam* et *ad* intercedenti mutatione personarum excusatio paratur; cfr. Ladewig. Mus. Rhen. III 528. Studemund. ind. lect. hib. Gryphisw. 1871 p. 9.

Epid. III 2, 20:

Ut quóm redisses né tibi *eius* cópia esset : : Eúge.

Versum Geppertus in edit. immerito mutat; cfr. R. Mueller. de Plauti Epid. 6 ss. —

Men. prol. 34. 190. 222. 590. 773. Merc. prol. 44. 850. 906. Mil. 62. 106. 950. 976. 1105 (cum libris et Brixio [v. ad l.] *éius* : : *Convenítne eam?* lego, Ritschelius *cíus* : : *Convenistíne eam?*) 1229. 1234 (cum Bothio et Ritschelio *oculi éius ne* pro scriptura librorum *ne oculi eius* lego) 1235. 1276. Most. 246. 1046. 1063. 1127. 1157 (hiatum *adulescéntiaeque - éius* in dihaeresi septenarii trochaici admisi) Pers. 201. 602. Poen. I 1, 29. V 4, 4 (altera anapaestici tetrametri acatal. pars integra videtur: *neque cóntempsi éius opés hodié;* A, cuius scripturam Studemundi liberalitate habeo, *opes,* nisi quod pro *e* etiam *i* legi potest) v. 33 alterius exitus Poenuli. Pseud. 57. 607. 617. 651. 718. 986. Rud. prol. 79. 392. 1035. 1200. 1214. 1271. 1276. 1379. Stich. 268. 270. Trin. 108. 111. 122. 176. 178. 430. 671. 733. 1122. Vidul. fragm. ap. Prisc. I 300 H. ap. Studemund. ind. lect. hib. Gryphisw. 1870 p. 24 frgm. XIV *(éiusdem).*

Plauti *octoginta* exempla sunt.

Apud Terentium *éius* est:

Ad. 466. Andr. 115. 232. Eun. 203. 565. Haut. 168. 455. 945. Hec. prol. I 8. 129. 388. 412. 569. 658. Phorm. 39. 64. 147. 619. 649. 880.

Terentius *viginti* exempla exhibet.

In *fragmentis tragicorum éius* Pacuv. 78, in *comicorum* reliquiis Afran. 232. Caecil. 147 (de initio versus certo v. Ribbeck. coroll. ad com.[2] p. XXV s.) invenitur.

Omnia exempla *centum tria* sunt.

B. *Húius.*

Apud Plautum occurrit:

Amph. 265. 289. 359 (ubi *familiai* cum Fleckeiseno lego, in B est *familiae*) 798. 811. Asin. prol. 7. 632. 643. 681. 736. 855. Aul. IV 1, 17. IV 10, 76. Bacch. 449. 597. Capt. 95 (Fleckeisenus versum uncis inclusit, ego cum Brixio retineo; pro *huius est* cum duobus his editoribus *huius* lego) 275. 335. 396. 437. 574. 576. 927. 974. 988. Cas. IV 1, 14. IV 4, 21:

Dedísti *huius* quóm copiám mihi dedísti. o.

Digitized by Google

Versum cum antecedenti et insequenti ut in A discripti sunt cum Studemundo retinui; v. Studemund. de cant. Plaut. 24 et Annall. scholast. Berol. XVIII (1864) 531 s. Fleckeisenus Annall. 103 (1870) p. 706 totum locum trochaicis octonariis complectitur. — Cas. IV 4, 23 (in fine versus *atque huius corpus est* pro *a. h. est corpus* in libris traditi Studemundus Annall. schol. Berol. XVIII (1864) 527 correxit). Casin. epilog. 2. Cist. IV 2, 104. Curc. 518. Epid. V 2, 56. Men. 181. 816. 848. 855. 1071 (*bis*; versum cum Ritschelio n. exc. Pl. I 42 lego) 1090. Merc. 957 (hiatum *ad-simile-húius* cum Ritschelio admisi) Mil. 519 (levis quae initio versus corruptela est ad insequens *huius* non valet) 634. 969. 997 (altera pars versus sana est) 1000. 1153. 1278. Most. 207. 664. Poen. I 1, 27. I 2, 166. I 2, 180. I 2, 182 (*bis*) III 3, 43. III 5, 34. V 2, 131. V 3, 52 (initium senarii *ut haec inveniantur* vi proclisis excusare quam versum cum CFGMuellero de pros. Plaut. p. 392 mutare malui) V 4, 76 (hiatum *modo-huius* e medio tollendi causa quod Fr. Schmidtius quaestt. de pron. demonstr. form. Plaut. 55 proposuit *modod* accepi) Pseud. 271. 314. 857. Rud. prol. 42. 1079. 1090 (*ted huius* cum Pareo, Fleckeiseno, Ritschelio n. exc. Pl. I 38 pro *te h.* librorum lego) Truc. prol. 13. Vidul. fragm. ap. Non. 258, 27, ap. Studemundum l. l. 23 frgm. IX.

Plautina exempla *sexaginta septem* sunt.

Apud Terentium est *húius*:

Ad. 96. 351. 444. Andr. 111. 261. 286. 290. 357. 890. 943. Eun. 202. 301. 444. 1070. Haut. 203. 333. 334. 682. 961. 1065. Hec. 338. Phorm. 608: *viginti duo* exempla.

In *fragmentis trag.* nullum exemplum est, *comic.* Afr. 113. 397. Turpil. 96.

Omnia exempla *nonaginta duo* sunt.

C. *Quŏius.*

Loci Plautini:

Amph. prol. 17. 132. 141. Asin. 203. Aulul. II 4, 10. Bacch. 940. Capt. 986. Epid. II 1, 7. Men. 477. 812. Most. 89 (sive cum G. Hermanno elem. d. metr. 299, Lorenzio in ed., Spengelio T. M. Plaut. 122 trimetrum, sive cum Ritschelio tetrametrum bacchiacum statuis, mensura *quóius* eadem manet) 970. Rud. 967. 1002. 1005. 1094. Trin. 533. 536. Truc. II 4, 77: sunt *undeviginti* exempla.

Quóius apud Terentium *uno loco* Andr. 772 extat: quo de versu infra ubi de universo Terentii usu quaestio erit (p. 47) dicemus.

Accedunt tria exempla Acc. 417 (Ribbeckium sequor), Pacuv. 156, Publ. Syr. 90.

Omnia exempla *viginti tria* sunt.

Locos quibus genetivi *eius huius quoius* trochaei loco positi trochaeique accentu notati inveniuntur congessimus. Cuius enume-

Digitized by Google

rationis usus idoneus tum demum fieri poterit, cum exempla quae aliam mensuram ostendunt attulerimus.[1])

II. *De eius huius quoius monosyllabis.*

Genetivi *eius huius quoius* non constanter trochaeum aequant, sed multis locis ut iusta versus species existat, monosyllabi legantur necesse est. Vide e. g.:

Trin. 737.

Te ei dícas: facere id *eius* ob amicitiám patris.

Stich. 50.

Nam mihi pol grata accéptaque *huiust* benígnitas.

Poen. IV 2, 2:

Quoius hominis erus ést consimilis, vélut ego habeo hunc huíus modi.

Quibus in versibus genetivos nostros neque trochaeos neque, si quis sic velit, pyrrhichios esse posse nemo artis metricae Plautinae peritus non perspiciet. Nihil restat aliud nisi ut monosyllabi sint: quam mensuram apice supra *i* littera posito vel *eíus huíus quoíus* scribendo significabimus.

Genetivum *eius* interdum in unam syllabam contrahendum esse iam Faernus ad Ad. III 5, 5 observavit, postea Bentleius rem ad eundem locum Adelphorum et ad Hec. III 3, 52 attigit, de monosyllabo *quoius* (*quoíusquam*) ad Hec. I 1, 7 dixit. G. Hermannus obiter eius contractionis mentionem facit elem. doctr. metr. p. 65. Sed pronuntiatio trium illorum genetivorum singulas longas syllabas efficientium quae fuerit, iam Franciscus Guyetus in editione Plauti (1658) indicavit. Is enim teste Guil. Wagnero[2]) praef. ad Aulul. p. LVII adn. 4 interdum *eis huis quois* scripsit, cuius rei exemplum Ritschelius ad Stich. 50 *'hui'st' Guyetus* adnotans praebet. Inter recentiores viros doctos[3]) Lachmannus ad Lucr.

---

1) Unum quod observavi hoc loco breviter adnotetur. Si exempla genetivorum trochaicorum quae in senariis iamb. et in septenariis troch. insunt ita componuntur, ut quos versuum pedes teneant perspicuum fiat, plurima exempla in senariis alteram arsim cum tertia thesi et tertiam arsim cum quarta thesi coniunctam, in septenariis troch., si exempla in cretico versus initio posita omittuntur, quartum et magis etiam quintum trochaeum, qui duobus illis senarii pedibus respondent, occupant. Quae res cum affinitatem illam, quae inter senarios iamb. et septenarios troch. interest, tum communem utrorumque versuum eam indolem confirmat, ut media eorum pars solitum vocum accentum et solitam mensuram servans tranquillius incedat, in pedibus autem et antecedentibus et insequentibus, in quibus pauciora exempla genetivorum trochaicorum sunt, motus numerorum sit vehementior.

2) Guyeti editione ipsa uti non potui.

3) Eorum qui hanc rem attigerunt hos inspexi: Buecheler. de decl. 39; Corssen. de pronunt. II² 765 s.; Fleckeisen. Jahnii annall. 60 (1850) 261; Neuium II² 191. 206. 227 s. 246 s.; Ribbeck. Mus. Rhen. XXIX p. 17; Schuchardt. de vocal. ling. Lat. vulg. II 508. III 310; G. Wag-

Digitized by Google

p. 26 s. eandem quam olim Guyetus pronuntiationem *eis huis quois* forma *cuicuimodi* adductus vindicavit. Quam formam certis grammaticorum testimoniis probari supra p. 12 vidimus, extat etiam teste Madvigio ad Cic. de fin. III 9, 30 in codice Parisino Tuscul. III 34, 83 et V 41, 121. Madvigius *cuicuimodi* loco illo libri de finibus, ubi Spirensis et Gronovianus, melioris notae libri nunc deperditi, *cui modi* habebant, Ciceroni reddidit. *Cuimodi* ipsum saepe apud Gellium occurrit: quos locos Neuius II² 228 enumeravit. Haec res propterea fortasse alicuius momenti est, quod Gellius antiqua haud raro vocabula profert. Accedit etiam quod formae *ali(i) modi, illi modi, isti modi* (v. supra p. 11. 16 n. 6. 20 s.) in usu erant et quod pariter eiecta *s* littera *multimodis mirimodis,* quibus *omnimodis* addendum est, poetae scaenici scripserunt. Quare ubi apud eos poetas *quoius modi* trisyllabum invenimus, cum Ritschelio, qui *quoimodi* versui Men. 575 reddidit aliisque fortasse Plauti versibus reddendum esse existimat (Mus. Rhen. VIII 307 = op. II 727), eam formam restituere non dubitamus. Usum vitae cotidianae eam formam etiam posteriore tempore retinuisse veri simile est, sed fortasse homines litterati et in loquendo et in scribendo *cuius modi,* quod apud Ciceronem Caesarem alios est, praetulerunt. Gellius formam *cuimodi* revocasse videtur. Scripturae *cimodi* exemplum in Vaticano et Gemblacensi Cic. pro dom. 44, 116 (v. Neuium II² 192), formae *huimodi,* si quidem e silentio eiusdem Neuii coniecturam facere licet, nullum superest.

Aliae reliquiae verae genetivorum illorum monosyllaborum pronuntiationis sunt, quod etiam in libris Plautinis similes formae decurtatae inveniuntur (v. Ribbeck. Mus. Rhen. XXIX p. 17. Buecheler. de decl. p. 39)[1]. In versu Trin. 1126, ubi genetivum ponendum esse certissimum est, Vetus *quoi,* ceteri libri *cui* habent:

Quoi fides fidélitasque amícum erga aequiperét tuam.

Ritschelius genetivum *quoius* scripsit; quem ipsum *quoi* esse Buechelerus l. l. vult.

Mil. 1081.

Perii, quot hic ipse annós vivet, *quoius* filii tam diu vivont?

Pro *quoius* in B *cui* est.

Versum Mil. 908 libri exhibent:

Atque *huius* (CDa *huis*) uxorem tu (BCDa; *te* DcFZ) volo adsimulare : : Fiet.

---

nerum praef. ad Aulul. LVII; cfr. etiam Zumpt. et Halm. ad Cic. Verr. II 5, 41, 107; Madvig. ad Cic. de fin. III 9, 30.

1) Corssenus II² 766 etiam genetivum *huis* quem Gruterus (p. 44 n. 3) in inscriptione quadam exhibet, affert. Sed apud Gruterum typothetae errore *huis* factum est, in lapide legitur *huius*; v. nunc eandem inscriptionem CIL. VI part. I n. 278. In inscriptione Africana (apud Renier. 2074) *cui non misertus ego* legitur, sed *cui* utrum genetivus an dativus sit dubium est: v. Buecheler. de decl. 39. Neuium II² 228.

Digitized by Google

Versui varias medelas adhibuerunt Camerarius, quocum Brixius facit, Ritschelius, Ribbeckius Mus. Rhen. l. l. Initium versus integrum esse videtur.

Mil. 960 in C est *Eis*^{o}, in D *Eis*^{u}:

Eius hunc anulum ád te ancilla pórro ut deferrém dedit.

hunc cum Acidalio et Brixio scripsi, libri *nunc* praebent. Quibus locis a Ribbeckio et Buechelero indicatis fortasse addendus est Merc. 997, ubi BCD uno consensu pro *huius* exhibent *tuis:*

Óra ut ignoscát delictis *huius* atque adulescéntiae.

Sed Ter. Phorm. 470, ubi in Bembino *cui,* in ceteris libris *cuius* est:

Cuí nunc miserae spés opesque súnt in te uno omnés sitae.

dativum agnosco: cfr. Ad. 455 *in té spes omnis, Hégio, nobis sita est;* Epid. V 1, 12 *ego quoi libertas in mundo sita est;* Pseud. 1292 *si qua in hoc spes sita est mihi;* Capt. 535 s. *mihi res omnis in incerto sita est;* Ad. 331. Amphitr. 1053 nihil probant. — Locis illis cum genetivi *e. h. g.* in singulas syllabas necessario contrahendi sint, scripturas illas non ad errores librariorum neque ad nescio quos casus, sed ad genuinam pronuntiationem revocabimus. Duplicem autem fuisse pronuntiationem, prout *s* finalis aut retinebatur aut abiciebatur, vix opus est dicere.

Ab ea quaestione, quam modo absolvimus, altera illa diligenter segreganda est, num aetas Plauti et Terentii etiam scripturam illarum formarum ad sonum oris aptaverit et num nobis quoque 'eis huis quois' 'ei hui quoi' scribere liceat. De scripturis *cuicuimodi* et *cuimodi* reducendis post ea quae p. 41 s. diximus minime dubitandum est, non aeque certum iudicium de *eimodi* admittendo facere possumus. Multo etiam minus de scriptura decurtata trium nostrorum genetivorum, ubi non cum *modi* coniunguntur, constat, immo certae causae sunt, quae nos ut eam sollemnem fuisse negemus permovent. Nam Prisciani verba I 226 H. *quamvis vetustissimi soleant omnium in 'ius' terminantium genetivum et in 'o' dativum in genere masculino et neutro, in feminino vero secundum primam declinationem in 'ae' diphthongum proferre,* et pariter I 266 H. *(omnia quae simili declinatione* [scil. pronominali] *proferuntur)* (v. supra p. 11), ea non ita torqueri debere manifestum est, ut etiam in tres nostros genetivos cadant. Pro nihilo autem ducenda sunt quae Augustinus regul. p. 508 K. dicit: *antiqui 'quis' genere communi dixerunt, 'hic et haec quis, huius quis, huic qui, hunc et hanc quem'* e. q. s. Augustinus enim manifesto ex eodem fonte hausit, ex quo verba quae sunt in Explanatione in Donatum Sergii nomen ferente (p. 546 K.) emanaverunt. Quo loco Explanationis auctor declinatione masculini *quis* praemissa pergit: *aliter secundum veterem declinationem per genus commune 'hic et haec quis', genetivo 'quius', dativo 'qui', accusativo 'hunc et*

Digitized by Google

hanc quem' e. q. s. Quae verba apud Augustinum quoque *quius* i. e. *cuius* ponendum esse ostendunt.

Paulo maioris momenti formae decurtatae locis illis supra allatis in codicibus extantes videntur esse. At sunt eius generis exempla tam pauca, ut eodem iure ad incuriam librariorum pronuntiationem neglegenter scriptura quoque reddentium quo ad constantem usum revocari posse videantur. Vel maxime vero scripturas illas decurtatas in suspicionem vocat, quod in inscriptionibus, quarum a fide his in rebus omnino proficiscendum est, nullas eas invenimus, immo ubi necessario genetivi monosyllabi sunt, plenae formae adhibentur. Sic in senario quarto tituli sepulcralis (CIL. I n. 1422 = Buecheler. anth. epigr. Lat. spec. I n. 26):

Quoius fátum acerbum pópulus indigné tulit,

pariter inscriptionis (Buecheler. l. l. n. 27 ex Grutero 1152 n. 2) in senario tertio

Sepúlta. heic sita sum vérna, *quoius* aetátula.

Addendi etiam sunt in quibus mensura monosyllaba summam probabilitatem habet saturnii, alter elogii Scipionis Barbati sic mihi ab Usenero commendatus:

Quoius fórma vírtútei parísumá fúit.

alter tituli Mummiani (CIL. I 541. Buecheler. l. l. II n. 2)

Ductu aúspicio imperióque *eíus* Acháia cápta.

Quae cum ita sint, de scriptura breviore genetivorum illorum aliter statuere non possumus, nisi ut de certo eo usu vel maxime dubitandum esse dicamus.

Iam exempla *eius huius quoius* monosyllaborum subsequantur.

A. *Eius.*

Apud Plautum est:

Amph. prol. 85. 645 (cum Fleckeiseno metior; nihil Spengelii T. M. Plaut. 120 discriptio mutat) 989. 991. 1004 (*esse* quod desiderari non debet a Fleckeiseno insertum recepi) Asin. 81. Aul. prol. 25. Bacch. 367. 676. Capt. 107 (Fleckeisenum secutus sum) 146. 289. 350. 940 (mensura *éius út ei* cum non *ut*, sed *ei* ictu efferri par sit, minus quam *eius ut éi* placet; *éius ut êi* autem pravus dactylus est) Cist. I 1, 102. Merc. prol. 105. 445. 650. 995. Mil. 960. 975. 1133. Most. 975 (hiatum cum Ritschelio in dihaeresi septenarii troch. forti accedente interpunctione admisi, quo fit ut altera versus pars sic notetur: *áio* : : *Et póstquam eius hínc pater;* aliter *et* immerito sub ictu esset) 985. Pers. 182 (*et* cum Ritschelio intuli) Poen. prol. 48. I 2, 36. IV 2, 1. V 1, 24 (*eius fílium esse* e. q. s.) Rud. prol. 52. 127. 1204. 1277. Stich. 169. 433. Trin. 737. 741. 967. Truc. V 75.

Apud Plautum *eius* est *triginta novem* locis.

Digitized by Google

Exempla Terentiana haec habeo:
Ad. 452. 515. 519. Andr. 93. 210. 274. 557. 579. 799. 831 (*bis*) 878. 928. Eun. 621. 900. 952. Haut. 97. 201. 287. 347. 366. 414. 453. 528 (cum *profugit* perfectum sit, *eius* metiendum est) 555. 567. 773. 878. 1026. Hec. 372. 404. 478:

Quaé concedat *eius*que mores tóleret sua modéstia.

Fleckeisenus contra libros *huiusque* scripsit, non recte mea sententia. *Huius* enim ad nullum alium nisi ad patrem adstantem Lachetem spectare potest. Sed cur Philumena soceri Lachetis *mores toleret sua modestia,* cuius mores semper comes erga se experta sit, immo qui totam culpam rixarum, quae inter Sostratam mulierem et Philumenam nurum sunt, Sostratae soli attribuat (cfr. v. 198 ss. 219—222)? Sostrata Philumenam odit ac vexat, ergo ei concedendum *eiusque* mores tolerandi sunt a Philumena). — Hec. 840 (*eius* retineo, Fleckeisenus uncis inclusit) Phorm. 188. 355. 481. 569. 652. 776. 821. 843. 873. 1045.

Terentii *quadraginta tria* exempla sunt.

Ex *tragicis* affero Acc. 517. praetext. 23. Pacuv. 36. 391. Naev. 3, ex *comicorum fragmentis* Caecil. 71. 106. Titin. 141. 153. Turp. 39. 171: *undecim* exempla.

Omnia exempla *nonaginta tria* sunt.

B. *Huíus.*

Loci Plautini:
Amph. prol. 51. 266 (*cépi huius in med* Ritschelius n. exc. Pl. I 35) 938. 941. Asin. 601. 605 (cum Fleckeiseno *tuó facc huíus* lego) 725. Aul. II 4, 11. V 7. Bacch. 66. Capt. prol. 39. 349 (Ritschelium n. exc. Pl. I 75 sequor[1])) 642. 1015 (cum Fleckeiseno *quín huius* lego pro *quid huius*) 1033. Cist. II 3, 63. frgm. Ambros. v. 49. Men. 1135. Mil. 474. 1023. Poen. I 2, 103 (*út quidem tu huíus oculos* A) I 2, 174. I 2, 181 (Fr. Schmidtius quaestt. de pron. dem. form. Pl. 65 nimis severe versum in suspicionem vocat. Ad sententiam verborum *huius amica mammeata* [scil. Adelphasium Carthaginiensis] cfr. Verg. moret. 31 ss. Iuven. XIII 162 s.) IV 2, 2. V 3, 17. V 4, 103. Pseud. 201. 823. Stich. 50. Trin. 795. Truc. II 7, 38 (verba *apud me erat huius pater pueri* sana sunt, in quibus *huius* monosyll. legatur necesse est).

Sunt *unum et triginta* exempla Plautina.

Apud Terentium *huius* est:
Ad. 163. 581 (*Scín Cratíni huius,* nomen *Cratinus* mediam producit cfr. Phorm. 447. 448) 929. 974. Andr. 210. 480. 887. 888. Eun. 746. 801. 873. Haut. 269. 339. Hec. 124. 168. Phorm. 544: *sedecim* exempla sunt.

---

1) *Vice* quod est in BD quid sibi velit Ritschelius l. l. miratur; haud dubie corrupta dittographia pro insequenti *fidem* est.

Digitized by Google

In *tragicis* inveni: Acc. 152. 294. 621 (ubi Ribbeckii emendationem pro certa habeo) inc. inc. frgm. 114. 129 s., in *comicorum* fragmentis Naev. 2. Turpil. 201: *septem* exempla.

Omnia exempla *quinquaginta quattuor* sunt.

C. *Quoíus.*

Apud Plautum est:

Amph. prol. 26. 589. 861. Asin. 144. 724. Bacch. 1016. Capt. 106. 806. Cas. II 4, 4. III 6, 20 (*quoius tú servós;* propter antecedentes anapaestos *erus sum : : Qui - erus* et cum nullo loco apud Plautum *quoius* oxytonum sit [v. infra p. 60], *quoius*, utut anapaesti discribuntur, monosyllabum est). Epid. V 2, 50. Men. 221. 575. Mil. 17. 1081. Most. 642. 817. 818. 908. Pers. 83. 261. 648. Poen. I 2, 62 (lenissima CFGMuelleri de pros. Pl. 35 mutatione *nebulai* recepta integer versus restituitur, ut mira Gepperti coniectura opus non sit) IV 2, 2. Pseud. 210. Rud. prol. 78. 83. 422. 963. Stich. 69. Trin. 501. 1126. Truc. I 2, 101.

Quoíus triginta tribus locis Plauti extat.

Apud *Terentium quoíus* inveni:

Andr. 336. 541. 765. Haut. 233. 260. 393. 428. Hec. 514. 561. 571. Phorm. 60. 402. 941. Sunt *tredecim* exempla.

Ex *fragmentis tragicorum* habeo Acc. 193. 446. 485. Pacuv. 183. incert. fragm. 55. 94, ex *fragmentis comic.* Afran. 351. 364. Laber. 98. Naev. 109. Nov. 21 (*bis;* discriptionem versus a Ribbeckio prolatam recepi) Turp. 152. Publ. Syr. 518: *quattuordecim* exempla.

Omnia exempla *sexaginta tria* sunt.

Posteaquam tam eos locos quibus *eius huius quoius* disyllaba quam quibus monosyllaba leguntur enumeravimus, iam quas rationes usus ex iis numeris eliciamus videre licet.

Eius monosyllabi *nonaginta tria* exempla sunt, *eius* disyllabum *centum tribus* locis est. Qui duo exemplorum numeri si inter se comparantur, haud fere rarius Romanos tempore veterum poetarum breviore quam longiore forma usos esse perspicuum est. Sed aliud quoque animadvertendum est. Plautus octoginta locis formam disyllabam, Terentius viginti scripsit, monosyllabam autem Plautus triginta novem, Terentius quadraginta tribus locis usurpavit. Plautus igitur dimidio plus *eius* disyllabum, Terentius dimidio plus monosyllabum frequentavit. Pariter supra p. 20 Terentium breviore genetivo *illius* magis quam longiore usum esse vidimus.

Huius monosyllabi, cum disyllabi *nonaginta duo* exempla sint, *quinquaginta quattuor* invenimus. Forma igitur monosyllaba

Digitized by Google

minus saepe quam disyllaba videtur usurpata esse. Longiorem formam Plautus sexaginta octo, breviorem uno et triginta locis habet, Terentius longiorem viginti duobus, breviorem sedecim locis. Plauti igitur tempore monosyllaba forma disyllabae multum cedebat, sed iam aetas Terentii breviorem haud multo minus quam plenam frequentasse videtur.

Quoius monosyllabi *sexaginta tria* exempla congessimus, sed *quoius* disyllabum *viginti tribus* tantum locis occurrit. Quibus ex numeris manifestum est, dimidio fere plus illo tempore *quoi* vel *quois* quam *quóius* pronuntiatum esse. Plauti undeviginti exempla longioris, brevioris formae triginta tria sunt, Terentium vero numquam in fabulis *quŏius* usurpasse contendo. Nam cum tredecim locis decurtata forma inveniatur, uno loco *quŏius* disyllabum occurrat, eorum numerorum ratione habita quin illo uno loco *quŏius* mutandum sit eo minus dubito, quod emendatio facilis se offert. Locus est (p. 40) Andriae versus 772:

Ne illa illum haud novit, *quóius* causa haec incipit.

Pro *quoius* librorum ego *quoia* scribo. *Quoia causa* Plautus Bacch. 948 dixit:

Is Hélenam abduxit, *quóia* causa núnc facio obsidium Ílio.

Duobus Plauti locis *quoius causa* est.

Versus Mil. 1009 s. libri sic exhibent:

Séquere hac me ergo : : Pédisequus tibi sum : : Útinam
quoius causa
Foras (fori B) sum egressa.

Prior versus mancus est. Varia viri docti coniecerunt: Ritschelius in editione scripsit:

Útinam *quoíus* causá foras
Húc sum egressa.

Brixius CFGMuellerum (de pros. Plaut. p. 184) secutus:

Útinam *quoia* grátia
Fóras sum egressa.

Hauptius in Hermae vol. II p. 148:

Útinam *quoius* súm foras
Caúsa egressa.

Maxime CFGMuelleri mutatio placet.

Alter locus est versus Capt. 1009:

Sálve Tyndare : : Ét tu *quoius* caúsa hanc aerumnam éxigo.

Pro scriptura librorum Brixius fortasse recte *quoia* scripsit.

Etiam fragmenta poetarùm tragicorum et comicorum, quorum plurima exitus sexti et prioris partis septimi Urbis saeculi sunt, eo tempore formas breviores, quae aetate Plauti paulo antecedente rariores quam plenae fuerant, iam percrebruisse confirmare videntur. Cum enim *éius huíus quóius* trinis locis occurrant, *e͡ius* undecies, *hu͡ius* septies, *quo͡ius* terdecies invenimus.

Digitized by Google

Sic etiam exigua pars sermonis Latini, qualis 'qua tempestate flos poetarum fuit' in consuetudine hominum erat, si accurate pervestigatur, luculento fit indicio, quanta illo tempore mobilitate intra lustra haud multa lingua Latina usitatas et genuinas formas a se removerit et novas et imminutas admiserit. Qua in via si longius progressa esset, ultimis verborum litteris defluentibus, singulis vocalibus et consonantibus etiam intra verba intercidentibus vel mutatis, alia varii generis labe et colluvione facta, iam illo tempore ad eum habitum attritum et depravatum misere devoluta esset, quo post nonnulla saecula, cum linguae Romanicae quae dicuntur proveniebant, deformatam videmus. Sed secunda fortuna factum est, ut eo decursu praeciso lingua Latina nova iam eo ipso tempore efflorescente litterarum ratione ad severiorem disciplinam reduceretur.

III. De genetivis 'eius huius quoius' cum genetivo 'modi' coniunctis.

Quamquam eos locos, quibus genetivi *eius huius quoius* cum genetivo *modi* coniuncti sunt, iam inter locos in antecedente capite enumeratos attulimus, tamen de iis etiam seorsim dicendum est.

Quoimodi—sic enim iam pro *quoius modi* scribo—hisce locis extat:

1) Men. 221.

Néque defiat néque supersit: : *Quoímodi* eis hominés erunt? *Quóiŭs modi ei* non ferendum est: prave enim ea mensura anapaesti anacrusim dispesceret; sic etiam plurimis insequentium locorum. *eis* Usenero debeo.

2) Men. 575.

Rés magis quaéritur, quám cluentúm fides
Quoímodi clúeat.

3) Most. 642.

Ain tu aédis? : : Aedis ínquam. Sed sein *quoímodi?*

4) Most. 817.

Víden hoc ante aedís vestibulum et ámbulacrum *quoímodi?*

5) Most. 818.

Lúculentum edepól profecto : : Age spécta postes *quoímodi.*

6) Most. 908.

Quoímodi gunaéceum? quid pórticum? : : Insanúm bonam.

7) Pers. 648.

Quoímodi is, dic, ín populo habitust? : : Némo quisquam accéptior.

8) Rud. 83.

Pro di ínmortales, témpestatem *quoímodi.*

9) Rud. 422.

Út in ocellis hílaritudost: heía corpus *quoímodi.*

Digitized by Google

10) Trin. 501.

Pro di ínmortales, cóndicionem *quoímodi.*

Quae decem exempla secutus sine ulla dubitatione *quoímodi* his duobus quoque locis reddo:

11) Most. 1117.

Lóquere: *quoimodí* reliqui quom hínc abibam fílium?

12) Rud. 424.

Vél papillae *quoímodi:* tum quae índoles in sáviost.

Non probandum *Lóquere quóius módĭ relíqui* neque *Vél papíllae quóius módĭ tum.*

In versu Pers. 386 Ritschelius e coniectura *quoiús modi* scripsit:

v. 385. Tace, stúlta. non tu núnc hominum morés vides,
Quoiúsmodi hic cum fáma facile núbitur?

CUIUSMODI A, *Quoiusmodi* BD, *Quoiuismodi* C. Scripturam Decurtati cum iam E. Beckerus in Studemundi Stud. I 286 rationem e syntaxi petitam adhibens genetivo *quoiusmodi* qui in ABD est praetulerit, ego unice veram esse confirmo. Plautum enim tot locis *quoimodi,* semel *quoiusmodi* et quattuor syllabarum et insolito accentu praeditum scripsisse ego non credo. Scribendum igitur est *quoivísmodi:*

Tace stúlta. non tu núnc hominum morés vides?
Quoivísmodi hic cum fáma facile núbitur.

Duobus locis Ritschelius *quoiquoimodi* scripsit:

1) Pseud. 741.

Múrrinam, passúm, defrutum, mélinam, mel *quoiquoímodi.*

2) Bacch. 400.

Sísne necne, ut ésse oportet: málus bonus *quoiquoímodi.*

In libris est: Pseud. 741: QUOIUSMODI A, *quouis modi* BCD. Bacch. 480: *cuius modi* BCD (A deest). Ut dicam quid sentiam, his quoque locis *quoivismodi* restituendum mihi videtur. Haec enim scriptura, cum multo facilius e genuino *quoivismodi* vel *quoivis modi* quam ex *quoiquoimodi* fieri potuerit *quouis modi, quoius modi, cuius modi,* quam proxime ad memoriam librorum accedit; pariter Pers. 386 A *cuius,* BD *quoius* prò *quoiuis* quod in C est praebet. Adde quod *quoiquoimodi* nusquam alibi apud Plautum invenitur. *Quoivismodi* codicem C Pers. 386 et scripturam *quoimodi* secutus unum verbum feci, sed etiam duo fuisse posse non nego.

Eĭus modi hisce locis est:

1) Bacch. 676.

Án nescibas *eíus modi* homini ráro tempus sé daret.

2) Rud. 127.

Nam própter *eĭus modi* égo viros vivó miser.

Ne thesis dactyli invenuste dissecetur, neutro in versu *éiŭs modi* legendum est. Altero in versu, quem cum Fleckeiseno scripsi,

Digitized by Google

virum doctum recte ordinem verborum qui in libris est mutasse Brugmanus 'Quem admod. in iamb. sen. Rom. vet. etc.' p. 9 confirmat.

3) Andr. 93.
Nam quí cum ingeniis cónflictatur *eíus modi.*

4) Phorm. 821.
Quam scítumst, *eíus modí* parare in ánimo cupiditátes.

Quorum exemplorum et formae *quoimodi* ratione habita nemo quinto quoque loco *eíus modi* non praeferet:

5) Trin. 337.
Níl moror eum tíbi esse amicum cum *eíus modi* virtútibus.

CFGMuellerus de pros. Plaut. 201 *éius módi*, quod potest sane legi, tamquam certum sit notat.

Consociationis *huius modi* haec exempla sunt:

1) Amph. 938.
Nam in hóminum aetate múlta eveniunt *huíus modi.*

2) Amph. 941.
Verum írae si quae fórte eveniunt *huíus modi.*

3) Bacch. 66.
Pénetrare *huíus modi* ín palaestram, ubi dámnis desudáscitur.

4) Capt. 1033.
Huíus modi paucás poetae réperiunt comoédias.

5) Mil. 1023.
Pedetémptim tu scis tráctari solitás esse *huíus modi* mércis.

Hic versus Plautum *huius modi* non quod fortasse quis sentiat pro uno vocabulo *huimodi* ut *quoimodi*, sed pro duobus habuisse ostendit. Unum enim vocabulum si esset, contra legem illam Lachmannianam vocabulum dactylicum trochaeum efficeret.

6) Poen. IV 2, 2.
Quoius hominis erus ést consimilis vélut ego habeo hunc *huíus modi.*

7) Pseud. 823.
Quom hasce hérbas *huíus modi* ín suum alvom cóngerunt.

8) Trin. 795.
Inspéctasque esse. in *huíus modi* negótio.

9) Eun. 746.
Réddere ac restítuere, haec atque *huíus modi* sum múlta passa.

10) Eun. 873.
Fore, Thais. saepe ex *huíus modi* re quápiam.

11) Haut. 339.
Síne periclo esse :: *Huíus modi* obsecro áliquid reperi. :: Máxume.

Digitized by Google

12) Turpil. com. 201 R².

Corónam mensam tálos vinum, haec *huíus modi.*

Quibus duodecim locis cum *huíus modi* constanter accentus cretici habeat, unus locus repugnat: Poen. V 4, 103, quem versum libri sic praebent:

Nam aliós pictores níl moror *huius módi* tractare exémpla.

CFGMuellerus de pros. Plaut. 201 emendationem *moro huíus modi* fortasse veram proponit. Sed cum versus Mil. 1023 *huíus modi* duo verba esse probet, nostro loco *huíus módi* praesidium aliquod habere videtur. Accedit quod consociationem *huíus modi* non constantem fuisse tres Terentii versus in quibus *huiús modi* est ostendunt:

1) Phorm. 505.

Néc cum *huiús modi* umquam úsus venit, út conflictarés malo.

2) Phorm. 529.

Nam hic me *huiús modi* scíbat esse: ego húnc esse aliter crédidi.

His duobus tertius versus addendus est:

3) Haut. 812.

Huiús modi míhi res sémper comminíscere.

Sic initium versus metiendum est, non *huíus módi mihí res.* Non solum enim ii numeri languidi sunt, sed *mihī* apud Plautum non ita rarum Terentii in fabulis quantum ego quidem inveni uno loco certum extat, Haut. 691.

Antíphila mea nubét *mihí* : : Sicín mihi interlóquere?

Quo loco *mihī* ante legitimam dihaeresim positum, in qua etiam personarum mutatio est, excusationem suam habet. Sed Andr. 112:

Quid si ípse amasset? quíd hic *mihi* faciét patri?

potest tam *mihí faciét* quam *mihĭ faciét* esse. ALuchsius in Studemundi Stud. I 17 cum versum inter eos qui senarii exitum ⏑ | ⏑ ⏑ ⏓ | ⏑ ⏓ ‖ probent non afferat, priorem mensuram praetulisse videtur: ego usitato pyrrhichio *mihi* maiorem probabilitatem tribuo. *Tibī,* ut hoc data occasione addam, hisce Terentii locis inveni:

Andr. 703.

Scio quíd conere : : Hoc égo *tibí* profécto effectum réddam.

Hoc quoque loco *tibí* insequenti dihaeresi defenditur; pariter Hec. 791:

At eásdem amicas fóre *tibĭ* promítto, rem ubi cognórint.

Versus in A omissus dittographia antecedentis versus est.

Excusatione illa caret *tibí* Hec. 623 (IV 4, 1):

Tibí quoque edepol sum íratus, Philúmena.

Quare cum Bentleio duos ex suis libris secuto *concinnius* ut dicit scribere praestat:

Digitized by Google

Tibi quoque iratus édepol sum, Philúmena.

Restat ut de tribus consociationibus *eius modi, huius modi, quoimodi* pauca addam. *Huíus modi* apud Plautum non unum, sed duo vocabula esse locum Mil. 1023 secutus et prosodia *huiús modi*, quae ter apud Terentium occurrit, indicio usus supra dixi. *Eíus modi* utrum pariter ac *quoimodi* constanter unum vocabulum creticum *eimodi* fuerit an duo vocabula, cum quinque tantum exempla apud Plautum et Terentium sint, diiudicari non potest. *Eimodi* uno Ciceronis loco duobus in libris esse supra p. 42 dixi. Gellius quidem, qui *cuimodi* revocavit, neque *eimodi* neque *huimodi* scripsit. Trisyllabum *huíus modi* Plauti et Terentii aetate multo magis quam forma quattuor syllabarum frequentabatur, *quoímodi* unice in usu erat et uno vocabulo scribebatur. *Quoimodi* autem vocabulum compositum esse, cum *huius modi* et fortasse *eius modi* non sint qui miratur, ei adverbium *quomodo* oppono. Compositum enim *quomodŏ* cum extet, composita *hocmodŏ* et *comodŏ* a sermone Latino absunt. Priscianus igitur, quantum ad *huius modi* attinet quale apud Plautum est, errat, cum I 596 H. dicat *componuntur nomina cum pronominibus, ut 'huiusmodi istius modi*[1]*) huiuscemodi' sicut et apud Graecos αὐτοκασίγνητος αὐτοδίδακτος φίλαυτος*; eandem rem I 564. II 22. 175 H. et auctor orthogr. Bern., alterius p. 296 Hag. repetit. Non rectius Priscianus de *huius modi* quale apud Terentium invenimus iudicat: *modi* enim (Phorm. 529. Haut. 812) pyrrhichius esse non potuit, nisi sui iuris erat et iambum aequabat. Priscianus igitur de usu suae aetatis loqui videtur. — Ut *quoimodi* sic etiam brevior genetivi forma in *quoivismodi* scribenda est. *Quoiquoimodi* num apud Plautum extet, dubium est.

IV. De genetivis 'eius' et 'huius' pyrrhichium aequantibus.

De genetivis *eius* et *huius* pyrrhichiam mensuram habentibus — nam *quŏiŭs* nusquam apud veteres poetas extat — viri docti inter se non congruunt. Nam cum iam tantum afuisset, ut Bentleius eam mensuram improbaret, ut non solum in initio senarii Phorm. I 2, 63 (113) *ut sĭbi eius fáciat* verba *sibi eius* anapaestum esse agnosceret, sed etiam ultro illam Ad. I 2, 66 (= 146):

Aut étiam adiutor *sím* (sic notatum est) *eius* iracúndiae.

et Phorm. I 2, 14 (= 64):

Nostíne? : : Quidni? : : quíd? *eius* gnatum Phaedriam.

induceret, Brixius praef. ad Trin. p. 15, Fleckeisenus in con-

---

1) Ne de *istius modi* quidem Priscianus verum docet: v. Ritschel. op. II 691 ad Trin. 552; cfr. supra 21 n. 8.

Digitized by Google

stituendis Terentii versibus, Lachmannus ad Lucr. p. 27. 160 s., Neuius de form. ling. Lat. II^2 192. 206, Guil. Wagnerus praefat. Aulul. XLVIII. LVII et praef. Haut. p. 22 s. ed. ao. 1872 eandem admiserunt, alii, ut Dziatzko adn. crit. ad Phorm. 113, qui fortasse Luchsii disputationem supra p. 3 adn. commemoratam sequitur, CFG Muellerus de pros. Plaut. 388 s. 401. genetivos illos pyrrhichii locum tenentes veteribus poetis scaenicis abiudicarunt. Ac profecto locorum mensuram pyrrhichiam ostendentium, si multitudini illi genetivos trochaicos et monosyllabos praebentium opponimus, tanta est paucitas, ut num pyrrhichia *eius huius* ferenda sint non immerito dubitemus. Nam vix metuendum est, ne quis nonnullis eorum locorum, ubi formam monosyllabam statuimus, pyrrhichiam vindicet: obstat enim quod forma monosyllaba proxima est disyllabae, obstat prior illorum genetivorum syllaba producta semperque in sermone Latino sic servata, obstat etiam auctoritas consociationum *eius modi, huius modi, quoimodi*. Quare ubi dubia res videtur, longe maiorem probabilitatem mensura monosyllaba sibi postulat. Sed quanam ratione formam pyrrhichiam explicabimus? Brixius l. l. Phorm. I 2, 63 *ut sibi ĕius*, Haut. III 2, 40 *si quid hŭius* notans his exemplis eandem legem enclisis adhibet, qua correptio syllabae positione productae antecedente vocabulo brevi monosyllabo excusatur. Atque iure quodam Brixius lege illa, cum exempla ab eo l. l. 14 s. allata correptionem syllabarum positione tantum, non natura productarum ostendant, tamen etiam genetivos *eius* et *huius* continet. Quorum priorem syllabam non vera positione produci manifestum est, sed proprie natura longam esse pariter est negandum: cuius rei nominativus *ĭs ĭd* et formae a littera *e* incipientes *ea eum* ceterae indicio sunt. Unice vere ad eam rationem *ēius* et *hūius* referri possunt, quae in productione quadam suppletoria, ut cum Curtii schola loquar, posita est. Cum enim in genetivis illis *i*, quae vocalis cum antecedentibus *e-* et *hu- (ho-)* coalescens diphthongos *ei-* et *hui-(hoi-)* vel fortasse proprium locum retinens alteram syllabam genetivorum *eius* et *huius* effecerat, postea tamquam consonans facta esset, ipsa attenuata ad antecedentem quidem syllabam producendam valuit. Propria igitur priori syllabae genetivorum *eius* et *huius* productae condicio est eamque ob causam fortasse pariter atque syllabae positione productae vi enclisis corripi potuerunt. Accedit id quod gravissimum est, quod ea excusatio pyrrhichiarum formarum *eius huius* si accipitur, exempla fere omnia quae extant, defensionem suam habent. Sic usus rationi Brixii assentitur, qua de causa probabilior ea videtur quam qua Buechelerus de decl. 14 veram naturam mensurae illius recludi existimat. Is enim, cum saepius consociationes *quŏd eius, quid huius* pro pede disyllabo positae extent, *d* finalem vocum *quod quid* defluxisse conicit, quo factum sit, ut *quo(d) qui(d)* elisione intercedente cum insequenti genetivo trochaeum efficerent. Sed quam-

Digitized by Google

quam Buechelerus idoneis exemplis *d* illa finalis quam fuerit fluxa probat[1]), tamen causa cur eum sequi dubitemus ea est, quod illa ratio, quam ipsam coniectura tantum habet, ne ad omnia quidem pyrrhichiarum formarum exempla pertinet. Nihil igitur superest nisi ut aut reliqua exempla corrupta habeantur: quod persuadere mihi non possum; aut ut Brixii sententiam amplectamur: quod ego praefero.

Loci mensuram *ĕius* praebentes a Lachmanno ad Lucr. 160 s. enumerati hi sunt: Poen. IV 2, 60. Eun. I 2, 51 (= 131). Phorm. I 2, 63 (= 113). Phorm. I 4, 8 (= 185), versus Turpilii ap. Non. 182, 4 (= 75 R²). Quibus locis cum iam CFGMuellerus l. l. 388 s. versum Pacuvii 330 R², in additamm. ad pros. Plaut. 51. Phorm. III 1, 19 (= 483) adiunxerit, ego Pers. 830 et versum hic tractandum Pers. 787 addo.

Huius pyrrhichium Lachmannus l. l. in versibus Eun. V 5, 10 (= 980) et Haut. III 2, 40 (= 551) probat, Muellerus l. l. 401. Capt. 1015 et Poen. I 2, 103, ego Curc. 716 affero.

Incipiamus a locis Plautinis tam *ĕius* quam *hŭius* ostendentibus.

ĕius:

1) Poen. IV 2, 60.

59. Quíd ergo dubitas, quín lubenter túo ero meus quod póssiet
Fácere, faciat *mále eius* merito? tum aútem si quid tu
adiuvas.

Quamquam antecedens monosyllabum *mál(e)* pyrrhichium *eius* excusat, tamen facillima emendatio una littera *d* addita se offert: *málĕd eius;* potest etiam fuisse *mále et eius merito,* ut Capt. 971 *multa evenient et merito meo,* vel *mále id eius.* Longius abest quod CFGMuellerus additamm. 51 proponit *Fácere, male faxít eius merito.*

2) Pers. 830.

Táce, stulte: *hĭc eius* géminust (geminus est *codd.*) frater.
: : Hícinest? : : Ac geminíssumus.

Monere sufficiat lenem esse transpositionem vocabulorum: *eius hic* vel *hĭc ĕst eius.* De *hĭc eius* eo minus cogitandum est, quod etiam insequentis *hicinest* prima syllaba corripitur.

3) Pers. 787.

Sí quidem huc umquam erus rédierit *eius,* quód spero.
sed quíd ego aspicio?

Fleckeiseni (v. Ritschel. adn. crit.) mutationem *eius érus quod spero rédierit* commendat, quod sic versus minus est elumbis, id quod maxime accentu *quód speró* pro *quod spéro* efficitur. Si versum

1) Ceterum Buechelerus tertium saturnium tituli Mummiani nunc (anth. epigr. spec. II p. 5) sic legit: *ob hásce rés bene géstas quod in béllo vóverat,* non ut de decl. 14 *quó(d) in belló vóverat.*

Digitized by Google

cum Ritschelio retines, non opus est neque excusandum *redierít ĕiŭs*, lege potius *rédierít ĕius*.

Hŭius:

1) Capt. 1015. Codices praebent:

Quíd huius filium : : Íntus eccum, frátrem germanúm tuom.

Quae verba etiamsi *Quid?* distinguis, sana sententia carent. *Quid* ex insequenti versu irrepsit, *quin* quod Fleckeisenus substituit sententia et versus 1017 *quin, inquam, intus hic est* poscit.

2) Poen. I 2, 103 in Palatinis est:

Út tu quidem *huius* oculós illotis mánibus tractes aút teras.

Sed cum Ambrosiano scribendum est *Út quidĕm tu huius oculos.* Hoc et versu Capt. 1015 supra p. 45 pro certis exemplis mensurae *huius* usus sum.

3) Curcul. 716. In libris est:

Líbera haec est, *híc huius* frater ést, haec autem illius soror.

Alterum *est* cum Fleckeiseno damno (v. supra p. 17), sed in priore versus parte nullum vitium reperio. Potest quidem transponi *huíus hic frater* vel *híc ĕst huius frater,* sed consociatio *híc hŭius* tam similis est illi *híc ĕius* Pers. 830, ut altera alteram fulciat.

Certi igitur Plauti loci duo tantum sunt Pers. 830 et Curc. 716, alter *ĕius,* alter *hŭius* exhibens, sed quorum auctoritas eo gravior est, quod se invicem tutantur. Quare nisi quis aliam praeter ieiunam illam transpositionem indicat medelam utrique versui pariter adhibendam, quam ego quidem nullam video, versus non sollicitandi erunt. Licet duo tantum exempla formarum pyrrhichiarum obrui videantur multitudine eorum quae solitas ostendunt mensuras, tamen sine ulla tergiversatione, cum rationem illam a Brixio propositam satis firmum fundamentum habeam, Plauto duobus illis locis quod Plauti est reddo.

Apud Terentium *ĕius* est:

1) Phorm. 113.

Ut *sibi ĕius* faciat cópiam illa enim sé negat.

Dziatzko ordinem verborum optime progredientium invertit *sibi ut ĕius faciat.*

2) Phorm. 185.

Quód cum audierit, *quód ĕius* remedium ínveniam iracúndiae?

Hoc quoque loco Dziatzko *cíus quod* mutat, qui ordo verborum, cum potius interrogativum *quod* sub ictu ponendum sit, multo minus quam qui in libris est placet.

3) Phorm. 483.

Nam *pér ĕius* unam, ut aúdio, aut vivam aút moriar sententiam.

Digitized by Google

Iam Bentleius (= III 1, 19), quocum Fleckeisenus et Dziatzko faciunt, versum, qui medius inter trochaicos septenarios iambicus octonarius est, et ipsum ad numeros trochaici septenarii redegit. Bentleius *nám de eius una* scripsit, Fleckeisenus et cum eo Dziatzko transponunt: *nam eius per unam.*

4) Eun. 131.

Nupér: *ĕius* frater áliquantum ad remst ávidior.

Cum ante *eius* sit *nūpĕr,* prior genetivi *eius* syllaba correpta sine ulla defensione est. Probabiliter CFGMuellerus l. l. 388, cui etiam Dziatzko adn. crit. ad. Phorm. 113 assentitur, pro *eius* proponit *quoius.*

Accedunt singuli versus Pacuvii et Turpilii. Pacuv. 330 (ap. Cic. de or. II 46, 193):

Néque ĕius gnati párvi qui tibi ín tutelam est tráditus.

Ribbeckius adnotat: *'neque gnati eius' Hermannus et probat CFW Muellerus pros. Plaut. 388 nescio an merito.* In codice Erlangensi est *neque eius crati,* lineola voci *eius* subducta. Quae lineola si quidem *eius* delendum vel corruptum esse indicare vult, fortasse insequenti *crati* destinata erat, ut etiam in Abrincensi qui *grati* habet litterae *r* corruptelae signum supra impositum esse Ribbeckius in adn. crit. dicit. Alia enim hoc loco aptior voce *eius* excogitari non potest: cuius priorem syllabam correptam propter antecedens *néqu(e)* ego retineo.

Turpil. 75 (Non. 182, 4):

Erus stúpidus adstat: *íta eius* aspectús repens
Cor tórporavit hómini amore.

Ribbeckius frusta senariorum statuens, ut *ĕius* evitetur, post *ita* inseruit *enim.* Sed *ít(a) ĕius* plane eadem in condicione est atque certa quae huc usque attulimus pyrrhichiae formae exempla. CFG Muellerus l. l. 388 septenarios iambicos, quo fit ut mensura *ĕius* sit, fuisse posse monet:

⏑ ⏓ ⏑ – ⏑ ⏓ ⏑ – ⏑ ⏓ erus stupidus ádstat:
Ita *éius* aspectús repens cor tórporavit hómini
Amóre.

Quae mensura vix vera est: moleste enim antecedentibus verbis assuitur solum sic in initio versus positum *amore.*

Hŭius bis apud Terentium est. Eun. 980:

Quidquíd hŭius factumst, cúlpa non factúmst mea.

Haut. 551.

Si *quíd hŭius* simile fórte aliquando evénerit.

Utrumque *hŭius* post *quíd* sine offensione est. Altero in versu CFGMuellerus l. l. 401 transponere suadet aut *huius si quid simile* aut *si quíd simile húius.*

Omnes locos ad hanc nostram quaestionem pertinentes percensuimus. Certorum tantum exemplorum si ratio habetur, Plautus

Digitized by Google

singulis locis *ĕius* et *hŭius* (Pers. 830. Curc. 716), Terentius bis *ĕius* (Phorm. 113. 185), bis *hŭius* (Eun. 980. Haut. 551) praebet, accedunt duo *ĕius*, alterum apud Pacuvium, alterum apud Turpilium: quae exempla legi illi quae in vi antecedentis brevis vocis unam syllabam efficientis et cum accentu prolatae posita est, omnia parent. Perrara apud Plautum ea mensura, minus rara apud Terentium est. Quod utrum casu fiat an progredienti sermonis cotidiani usui tribuendum sit, vix diiudicari poterit. Sed recordari debemus, quod discrimen in adhibendis variis formis genetivorum pronominum inter usum Plauti et Terentii interesse supra cognoverimus: fortasse simile aliquid hic subest. Cui sententiae singula exempla quae apud Pacuvium et Turpilium, utrumque Terentii aequalem, inveniuntur, aliquid fidei afferre videntur.

V. De genetivis 'eius huius quoius' oxytonis.

Loci nonnulli inveniuntur, quibus *eius huius quoius* trochaica mensura servata in ultima syllaba acuuntur: quae exempla propter insolitum accentum separatim tractare placet. Omnino enim poetae scaenici usum vocabulorum trochaicorum accentum in ultima syllaba habentium, ut a consuetudine sermonis communis Romanorum plane aberat, angustis finibus circumscripserunt. Ac primum quidem Ritschelius prolegg. Trin. CCXXV trochaicas voces, quarum ultima syllaba accentu notata est, in secundum vel tertium pedem septenariorum ea plerumque accedente condicione admittendas esse docet, ut binae breves syllabae sequantur. Tum l. l. CCXXX s. eam prosodiam in primum senarii pedem modo una quidem brevis syllaba sequatur accipit; cum alteri quoque pedi eam non quidem abiudicarit, nunc Brugmanus 'Quemadmodum in iamb. sen. Rom. vet. verborum accentus cum numeris consociarint' p. 43 eum usum nisi in praepositionibus *inter propter* non inveniri docet. Addendum est, quod si vocabula trochaica positione fiunt spondiaca, necessario iisdem condicionibus quibus omnia vocabula spondiaca continentur. De spondiacarum vocum qui est in senario usu post Ritschelium l. l. CCXIX ss. idem Brugmanus l. l. 22 ss. eas quoque quae positione ex trochaicis factae sunt comprehendens egit: qui spondiaca ab altero, tertio, quarto loco excludit.

Iam locos ipsos huc pertinentes enumeremus.

Eiús invenitur:

1) Mil. 1171.

Quásique *eiús* opulèntitatem révereris: ét simul.

Eiús condicioni illi a Ritschelio l. l. CCXXV propositae oboedit.

Versus 2) Rud. prol. 2.

Eiús sum civis cívitate caélitum.

Digitized by Google

et 3) Haut. 299.

Quom *eiús* tam neglegúntur internúntii.

eiús positione spondiacum factum in primo pede praebent.

Pariter propter similitudinem quae inter senarium iambicum et septenarium trochaicum est spondeus excusatur:

4) Hec. 385:

Séd quom oráta *eiús* reminiscor, néqueo quin lacrumém miser.

5) Most. 957.

Quártus, quintus, séxtus usque, póstquam hinc peregre *eiús* pater.

hinc in A deest. Olim Ritschelius pro *eius* in A legerat *illius*, sed A praebet EIIUS; v. Studemund. Fleckeiseni Annall. 93 (1866) p. 55 et Ritschel. op. II 684.

6) Phorm. 737.

Qui ést *eiús* pater : : Ádeo, maneo, dum haéc quae loquitur mágis cognosco.

Bentleius (= V 1, 10) ut *pater* sub ictu sit, ei rationi nimis obsecutus scribit *Qui éius pater est.*

Simile initium ostendunt septenarii:

Capt. 482. Dico *unúm* ridículum dictum.

Merc. 451. Póst *autém* communis mi íllast.

Pers. 583. Númquam *ullús* deus tám benignus.

7) Mil. 448.

Án ista non sit Phílocomasium atque ália *eius* similis sit.

Sic versus in libris est; in extremo versu Ritschelius *sit*, Brixius in adnot. crit. ad. l. *sict* scripturam codicum esse testatur. Versus duplici modo legi potest: aut hiatu post *Philocomasium* in legitima dihaeresi admisso aut sic:

Phílocomásium atque ália *eiús* similis siet.

Sed haec altera mensura non vera est neque immerito Luchsius (apud Brixium l. l.) in ea offendit: hanc enim sedem spondiaca vocabula non tenent. Luchsius etiam in obscura loci sententia haesit, sed Brixius in adnotatione exegetica ad l. eam difficultatem removit. Versus igitur aut priore illa ratione legendus aut cum Ritschelio sic scribendus est:

Án ista non sit Phílocomásium atque ália similis *eius* siet.

Huius trochaici oxytoni haec exempla inveni:

1) Merc. 514.

Orátio edepol plúris est *huiús* quam quanti haec émptast.

Sic libri, nisi quod *hec* in B est, ad quod Ritschelius *Quod saltem 'ea' esse debuerat* adnotat. Sed CFGMuellerus additamm. ad pros. Plaut. p. 130. versum Rud. 1388 conferens:

Íd ego continuo *huíc* dabo, adeo mé ut *hic* emittát manu.

num recte illud Ritschelius dixerit merito dubitat. Ritschelius versum scribit:

Digitized by Google

Orátio edepol plúris est *huiúsce* quam quanti émptast.

Huiusce Ritschelius ob eam solam causam inseruit, ut eiecta voce *haec* versum suppleret. Sed causa idonea quae mutationem postulet non est, praesertim cum *huiusce* Plauto in usu non fuerit; qua de re infra dicetur. Prosodia autem *huiús* post dihaeresim septenarii iambici, ubi versus tamquam de integro incipit, nihil offensionis habet. Eandem sedem vox spondiaca oxytona Mil. 367 habet:

Atque cum álieno adulescéntulo *dixít* : : Dixi hercle véro.

et Stich. 674:

Mirúm videri némini *vostrúm* volo, spectatóres.

2) Merc. 599.

Núnc quid restat? eí, disperii. vóltus ne utiquam *huiús* placet.

Propter *ne ũtiquam* (v. Bentl. ad. Hec. I 2, 50) necessario *huiús* legendum est. *Huiús* spondiacum eandem sedem quam *eiús* Most. 957 habet.

3) Cistell. II 3, 64.

Huiús ego quaero : : Quómodo igitur óbsecro.

CFGMuellerus de pros. Plaut. p. 684 *huius érgo quaero,* quod iam Bothius scripsit, collatis versibus Epid. III 4, 41. Andr. 850. Phorm. 755 praefert. Bothii coniectura fortasse manum poetae restituit: sed etiam *huiús*, cum duae correptae syllabae sequantur, a poeta scribi potuit.

4) Poen. V 6, 30.

29. ∪ ⏑ Sequere intro, pátrue, mi ut hunc festúm diem
Habeámus hilarem *huiús* malo et nostró bono.

Sic versus in libris est, nisi quod v. 29 Gepperto teste, cum A 'ut videtur' *mi ut* habeat, ceteri libri *mi ut hunc* exhibent. Hiatum *hilarem huius* fortasse recte Hasperus de Poen. Plaut. dupl. exitu 15 sic e medio tollit:

∪ ⏑ Sequere intro, pátrue mi, ut festúm diem
Habeámus hilare hunc *huíus* malo et nostró bono.

hilare Bentleius ad Ad. II 4, 23 induxit.

5) Aulul. prol. 22.

Paritér moratum, ut páter avosque *huiús* fuit.

Eundem senarii pedem *huiús* efficit:

6) Capt. prol. 4.

Senéx, qui hic habitat Hégio, est *huiús* pater.

et 7) Capt. prol. 17.

Fugitívos ille, ut dixeram ante, *huiús* patri.

Versus prologi Captivorum Plauti non sunt: v. Ritschel. parerg. 212 ss.

Accedunt tres Terentii loci:

1) Haut. 812.

Huiús modi mihi res sémper comminíscere.

Digitized by Google

2) Phorm. 505.

Néc cum *huiús* modi umquam úsus venit út conflictarés malo.

3) Phorm. 529.

Nam híc me *huiús* modi scíbat esse: ego húnc esse aliter crédidi.

Primo in versu spondiacum *huiús* sine offensione est, in duobus insequentibus eundem locum quem *eiús* Phorm. 737 tenet. His de tribus versibus supra p. 51 dixi.

Quoiús nisi Merc. argum. II 5 non extat:

Quoiús sit (scil. ancilla) percunctátur. servos pédisequam.

Certos veterum poetarum scaenicorum locos quibus *eiús* extat, sex habemus, duos Plauti Most. 957. Mil. 1171, ad quos Rud. prol. 2 accedit, tres Terentii, Haut. 299. Hec. 385. Phorm. 737. *Huiús* duobus certis exemplis Plautinis probatur, Merc. 514. Merc. 599, ad quae Cistell. II 3, 64 et Aulul. prol. 22 accedunt; Capt. prol. 4 et 17 Plauti non sunt. *Huiús* igitur cum tam raro apud Plautum inveniatur, parum considerate Fr. Schmidtius quaestt. de pron. demonstr. form. Plaut. p. 52 tribus Poenuli versibus (I 2, 175 ss.) ter inseruit. *Eiús* autem et *huiús* plane iisdem condicionibus, quibus quodvis vocabulum trochaicum, sedem in versu occupant.

Sed nihil insueti inest, quod genetivorum *eius huius quoius*, particula aliqua per enclisim accedente, ultima syllaba acuitur. Ac de forma *eiúsce* quidem a Gepperto Poen. arg. 3:

Et fácit heredem. *éius* cognatáe duae

hiatus evitandi causa excogitata dicere opus non est: quo loco finis sententiae et fortior interpunctio hiatum excusat (v. Ritschel. op. II 417). *Eiusdem* forma semel in fragmento Vidulariae ap. Prisc. I 300 H. servata (v. supra p. 39):

Éiusdem Bacchaé fecerunt nóstram navem Péntheum.

huc non pertinet.

De forma *huiusce* postquam CFGMuellerus additamm. ad prosod. Plaut. p. 130 non satis accurate dixit, nuper Fr. Schmidtius quaestt. etc. p. 54 ss. quaestionem absolvit, attigit etiam Studemundus in censura libelli Schmidtii, quae est in Fleckeiseni Annall. 113 (1876) p. 71. Schmidtius et Studemundus hanc formam Plautinam non esse ita probarunt, ut nihil sit addendum. Semel in libris Plauti *huiusce* occurrit:

Poen. V 4, 87.

Huiúsce fratris filius Agorástocles.

Quo loco cum *huiusce* legi a Schmidtio repertae, apud Plautum formas pronominis demonstrativi *hic* cum *ce* particula compositas ante vocales tantum et *h* litteram usurpari, repugnet, versus cum Schmidtio p. 57 et Studemundo l. l. p. 71 sic scribendus est:

Jahónis fratris filius Agorástocles.

Digitized by Google

Aliam Terentius rationem sequitur: duobus enim locis *huiusce*, altero ante consonantem, altero ante *h* litteram posuit:

Andr. 439.

Huiúsce propter cónsuetudinem hóspitae.

Sic Erasmus locum scripsit, in libris et apud Donatum est:

propter *huiusce* hospitae consuetudinem.

Fleckeisenus olim in Jahn. Annall. 61 (1851) p. 33:

Proptér *huiusce* cónsuetudinem hóspitae

proposuit. Sed cum *proptĕr* vel maxime dubium sit, *huiúsce* autem eo in versu nihilo minus restet, praeterea cum ordo verborum qui in libris est retineri non possit, versum tam qualem libri quam qualem Fleckeisenus exhibet missum facimus. Aliam medelam Bentleius, quem CFGMuellerus de pros. Plaut. p. 440 sequitur, excogitavit:

prŏpter hóspitai *huiúsce* consuetúdinem.

Quem versum propterea improbamus, quod non solum mensura *prŏpter* minime certa est, sed etiam Terentius genetivum in *ai* desinentem non usurpavit (v. Ritschel. prolegg. Trin. CXLIII adn. et CCCXXV s.). Quarum causarum propter alteram, ad quam etiam pravum *hŭiusce* accedit, Lachmanni quoque mutatio falsa est (ad Lucr. p. 160):

Proptér *huiusce* hospitái consuetúdinem.

Nihil igitur aliud restat, nisi ut emendationem illam Erasmi, ut Ritschelius (l. l. CCCXXVII) Fleckeisenus Umpfenbachius acceperunt, nos quoque asciscamus. *Huiusce* igitur locum ante consonantem retinet.

Alter locus est Phorm. 827:

Huiúsce habendae. séd ubi nam Getam ínvenire póssim?

Cum Terentius formam *huiusce* scripserit, eadem forma in prologo Captivorum, qui Plauti non est, nisi aliae difficultates accederent, suspicionem non moveret, v. 10.

Patri *huiusce*. iam hoc tenetis? optumumst.

Sic libri. sed haec verba versum non efficiunt. Geppertus et Brixius scripserunt:

Huiús patri. iamne hóc tenetis? optumumst.

Fleckeisenus edidit:

[Dominó] patri *huiusce*. iam hóc tenetis? optumumst.

Aliquid certi vix reperiri poterit.

Versibus prologi Poenuli 83. 120 Geppertus in editione, Amphitr. prol. 96 CFGMuellerus additamm. p. 130, quibus locis libri *huius* habent, hiatus tollendi causa *huiusce* intulerunt. Cum duo illi prologi non Plauti, sed posterioris aetatis sint, fortasse *huiusce* vera emendatio est.

Poen. prol. 83. Sed ílli patruo *huiús(ce)* qui vivít senex.

Poen. prol. 120. Is ílli Poeno, *huiús(ce)* patruo, hospés fuit.

Digitized by Google

Amph. prol. 96. Dum *huiús(ce)* argumentum éloquar comoédiae.

Fleckeisenus: Dum argúmentum *huius* éloquar comoédiae.

Plauti ipsius locos, quorum mendas illato *huiusce* Geppertus et CFGMuellerus corrigere sibi visi sunt, Schmidtius l. l. p. 54 ss. affert.

Genetivus *quoius* apud poetas scaenicos cum particulis *quam vis que* in unam vocem coniunctus occurrit. *Quoiusquam* legitur:

Capt. 809:

Eórum si *quoiúsquam* scrofam in público conspéxero.

Hec. 64:

Et móneo et hortor, né *quoiusquam* misereat.

Alteram versus partem in qua *quoiusquam* certum est cum Fleckeiseno scripsi.

In *quoiusvis quoius* monosyllabum est:

Pompon. Bonon. 163 R²:

Quoiusvís leporis Líber diademám dedit.

Quoiusque synizesi disyllabum factum est:

Haut. 284:

Quae *quoíusque* ingenium ut sít declarat máxume.

VI. Loci incerti.

Restat ut eos locos enumerem, quorum in antecedentibus disputationis partibus varias ob causas rationem non habui. Versus argumentorum metricorum pariterque eos, qui in Appendice Sententiarum Publilii Syri R². p. 364 ss. comprehenduntur, silentio transii.

Eius.

Cas. prol. 13. Versus in libris est:

Antíquam *eius* édidimus comoédiam.

Hiatus tollendi causa varia Ritschelius parerg. 201, Geppertus in edit., CFGMuellerus de pros. Plaut. 513, Hauptius Mus. Rhen. I 468 proposuerunt.

Curc. 96:

Flos véteris vini náribus meis obiéctust: *eius* amor cúpidam.

Sic ordinem verborum in libris traditum mutans Fleckeisenus. Alios numeros A. Spengelius Philol. XXVI (1867) 355 s., alios Studemundus de cant. Plaut. 18 statuit.

Tres versus Epid. I 2, 6. 7. 8 in A desunt, in ceteris libris sic extant:

Quí invident omnés inimicos mihi ístoc facto réperi,
Át pudicitiae *éius* numquam néc vim nec vitium áttuli.
: : Iám istoc probior és meo quidem animó, cum in amore temperas.

Non solum auctoritas Ambrosiani, sed etiam totius sermonis sententia expelli eos versus iubet. Stratippocles enim non propter

Digitized by Google

odium inimicorum, sed quia pecuniam non habet tristis est: cfr. v. 11 s. Etiam locutio *pudicitiae eius nec vim nec vitium attuli* parum concinna videtur: cfr. *pudicitiae vitium addere* Amph. 811; *virgini vitium offerre* Hec. 383. Ad. 296; *per vim vitium offerre* Ad. 308. Versus illi quo loco nunc sunt iustam sedem non habent, num omnino Plauti sint dubium videtur. Geppertus primus eiecit.

Mil. 801.

Út sed ad eum cónciliarem. ille *éius* modi est cupiét miser.

sed cum HAKochio in Fleckeis. Annall. 101 (1870) p. 63 scripsi. Alteram versus partem quam Ritschelius scripsit *ille eius domi cupiet miser,* cum iam diu ne sic quidem recte emendatam habuerim, nunc GGoetzium in Act. soc. phil. Lips. VI 324 s. probabiliter sic restituisse video: ille *mílle* modis cupiét miser.

Most. 981:

Heú edepol patrem *éius* miserum praédicas : : Nihil hóc quidemst.

eius Schwarzmannus, *eum* Ritschelius in A legit; *eum* BCD. Fortasse gravior aliqua corruptela locum affecit: v. Lorenz. ad l.

Rud. 198. 199. 203:

Sed erí me sollicitát scelus, *eius* mé habet inpietás male:
Is ómnia perdidit ín mari: haec *eius* súnt bonorum réliquiae.

Lénior ésset hic *éius* opera mihi.

Sic Fleckeisenus tres cantici versus constituit; alios numeros Studemundus de cant. Plaut. 18. 20 librorum scriptura servata proponit.

Rud. 1091. Pareus (IV 4, 47) variam scripturam non addens scripsit:

Sí quidem hic lenónis *eius* est vídulus, quem súspicor.

eiust Fleckeisenus. Quater *éius* quartum trochaeum efficit: Men. 190. Pers. 602. Rud. 1035. Trin. 671, semel *e͡ius* quarta arsis est Truc. V 75. *Éiust* igitur melius quam *e͡ius est* videtur.

Stich. 2. Versus cantici in Vetere est:

Viro suo caruit. nam nos *eius* animum.

Alia discriptio in Ambrosiano est. Varios numeros Ritschelius cum Reizio et Hermanno, Fleckeisenus, Studemundus de cant. Plaut. 31, CFGMuellerus de pros. Plaut. 146 constituerunt.

Trin. 338:

Quía sine omni málitiast, toleráre *eius* egestatém volo.

Pro *eius* scribendum est *ei*: v. Ritschel. ad l.

Truc. II 5, 20:

Béne si facere incépit, *eius* rei nímis cito odium pércipit.

rei nimis Spengelius pro corrupta librorum scriptura; alia Geppertus in edit. et CFGMuellerus de pros. Plaut. 569 adnot.

Digitized by Google

Ad. 600:

Suspícionem hanc própter fratrem esse: *eius* et illam psaltriam.

Hanc librorum scripturam a Donato confirmatam Fleckeisenus insequentem versum excidisse ratus retinuit, Bentleius (IV 3, 9) alteram versus partem mutat *eius esse illam psaltriam.* Sed potest etiam alia corruptela subesse.

Eun. 839:

Vidétur: non est? túm quae *eius* confidéntiast.

Sic cum libris Umpfenbachius. Bentleius (V 1, 23):

Vidétur : : Non : : Tum quaé *eius* confidéntiast.

Fleckeisenus edidit:

Vidétur: tum *autem* quae *éius* confidéntiast.

Phorm. 176:

Ut néque mi *ius* sit ámittendi néc retinendi cópia.

Sic versum cum Bentleio (I 3, 24) scripsi. *mihi eius* codices omnes praeter A et F. In A cum prima manus *eius* omiserit, a correctore recenti supra scriptum est, in F est *m̀ ẽ͂ĩ̀s.*

Phorm. 783:

Nunc hínc domum ibo ac Phánium edocébo,
Nequíd vereatur Phórmionem aut *éius* oratiónem.

Bentleius (V 2, 18) propter causas non idoneas versum mutavit, rectius Bothius, quocum Fleckeisenus et Dziatzko faciunt, pro *eius* scripsisse videtur *huius.*

Afran. 204. Scaliger fragmentum scripsit:

eius monilis póssestricem.

In libris Nonii (150, 27) *tius* et *tus* legitur, qua sub scriptura, ut Merc. 997 libri *tuis* pro *huius* praebent, etiam *huius* latere potest.

Caecilii (122 R², ap. Festum 294 M.) fragmentum aut legi potest:

crédidi silicérnium
Eíus me ésse esurum.

aut sic:

Crédidi silicérnium *éius* me ésse esurum ⏑ – ⏑ –

Naev. com. 105 notare potes:

⏑ ⏑ – ⏑ – *eíus* nóctem nauco dúcere.

aut:

⏑ ⏑ ⏑ *éius* nóctem nauco dúcere.

Titin. 118:

itum géstum amictum
Quí videbant *eius.*

eius tam monosyllabum quam disyllabum esse potest.

Huius.

Amph. 486.

Sed Álcumenae *huíus* honoris grátia.

Digitized by Google

Hiatum variis mutationibus Fleckeisenus et CFGMuellerus de pros. Plaut. 130 vitant.

Asin. 556. Pareus (III 2, 10) varia scriptura non addita scripsit:

Id vírtute *huius* cóllegae meáque comitáte
Factúmst.

Fleckeisenus nimirum ne septenarii iambici dihaeresim spondeus antecedat, corrigit:

Virtúte id collegae *huíus* [mei] meáque comitate.

Aliter CFGMuellerus l. l. 614 adnot.

Asin. 721.

Opto ánnum hunc perpetuóm mihi-*huius* óperas : : Impetrásti.

aut *perpetuóm mihi húius óperas* metiri potes: prior mensura suavius in aures incidit.

Aulul. prol. 5. Libri BD (teste Lorenzio in progr. gymn. qu. dic. Colon. Berol. 1872 p. 2) habent:

Patri avoque amicus *huius* qui nunc hic habet.

Fortasse Acidalii emendatio *patrique* vera est. Alia CFGMuellerus l. l. 512 adn. coniectat.

Aul. IV 2, 12.

Átque hic pater est, út ego opinor, *huius* erus quam amat.

Sic BD, GWagnerus cum veteribus editionibus *huíus erús meús quam amat* scripsit, CFGMuellerus additamm. 121 *virginis,* ALuchsius in Studemundi Stud. I 43 idem vel *mulieris* in fine versus defluxisse putat.

Capt. 800:

Fáciam ut *huius* die locique meíque semper méminerit.

Tam *huíus dié* quam *húius dié* esse potest.

Capt. 1016. Fleckeisenus et Brixius scripserunt:

Quíd tu ais? addúxtine illum cáptivom *huius* filium?

Teste Studemundo in Fleckeis. Annall. 93 (1866) p. 59 in B est: *adduxtine illum filium captivum.*

Mil. 698. 699.

Haéc atque *huius* símilia alia dámna multa múlierum
Mé prohibent uxóre, quae mi *huius* símilis sermonés serat.

huius 698 in ABCD ex insequenti versu huc irrepsit, Ritschelius propter antecedens *haec* scil. *damna* unice verum *horum* restituit. — Versus 699 quem ut Ritschelius edidit scripsi, in libris est:

Me úxore prohibént mihi quae *húius* símilis sermonés serat.

Sed n. exc. Pl. I 43 Ritschelius versum qualis in libris est non quidem sollicitans pariter tamen fuisse posse dicit:

Méd uxore próhibent mihi quae *huíus* sím. s. s.

Quae mutatio propterea minus probanda est, quod Plautus demonstrativum *huius* fortius proferendum non monosyllabum in reces-

Digitized by Google

sum quartae septenarii thesis abdidisse videtur. Duodecim enim locis *huius* quartum trochaeum efficit: Amph. 798. Aul. IV 1, 17. Capt. 275. 437. Men. 181. 848. 855. Mil. 634. 1000. Poen. I 2, 166. Pseud. 271. Rud. 1090, quarta in thesi positum nullo loco certo neque Plauti neque Terentii, qui *hŭius* quartum trochaeum semel Haut. 334 fecit, inveni.

Manci versus sunt Truc. IV 2, 59:

Álteram tonstrícem *huius,* álteram ancillám suam.

ubi Spengelius scripsit *álteram illam tónstricem hŭius,* et Asin. 883 (v. Ritschel. n. exc. Pl. I 76):

Quíd fatere? : : Me éx amore *huius* corruptum oppido.

Fleckeisenus *esse* quod in libris deest post *huius* inseruit: *Me éx amóre huĭus ésse c. o.* Ego ne *huĭus* quarta thesis sit (v. supra ad Mil. 699), cum pro *esse* facile *ex* invadere potuerit, scribo: *Me ésse amóre(d) hŭius corruptum óppido.*

Versus Mil. 1328 in libris mutilus est:

Forma *huius,* móres, virtus ánimum attinuere híc tuom.

Ritschelius *Íta forma huius,* Hauptius Herm. 1868 p. 148, quocum Brixius facit, *Fórma enim huius.*

Poen. I 2, 175 ss. Geppertus versus sic edidit:

Huíus mel, huius cor, huíus labellum, huius língua,
huiusce sávium,
Huíus delicia, huiúsce salus amoéna, huius festívitas,
Huíus colustra, huiúsce studium, huíus dulciculus cáseus.

Codices vel maxime inter se dissentiunt. Gepperti medela cum ut alia omittam propter unam formam *huiusce* nulla sit, vix melius mihi Fr. Schmidtius quaestt. 62 ss. rem gessisse videtur. Totus locus mea quidem sententia nisi una cum versibus 152 ss. 168 ss. tractari non potest. Quos omnes quamquam variis modis tentavi, tamen ne mihi ipsi quidem quod sufficeret indagavi.

Pseud. 1317.

Nonne aúdes, quaeso, aliquám partem mihi grátiam facere
hinc árgenti?

hinc in libris est, *huius* dicit *alibi legi* Pius, Fleckeisenus recepit. Quamquam quae Pius dicit, parum certa esse solent (v. Ritschel. op. II 54 s.), tamen cum *hinc* ex insequenti versu immigrasse possit, *huius* hoc loco fortasse verum est.

Rud. 285. Libri exhibent:

Fateor ego *huius* fani sacerdos clueo.

In editione cum Fleckeisenus bacchiacum tetrametrum hunc scripsisset:

Fatébor: ego *huiŭs* clueo fáni sacérdos.

in Iahnii Annall. 61 (1851) p. 27 iisdem numeris servatis alia quae legi possunt proposuit. Alios numeros Spengelius T. M. Plaut. 146 statuit. Usenerus quod maxime mihi placet suadet:

Digitized by Google

Fateŏr: *huius* fáni sacérdos ego clúeo.

Rud. 1316. Pareus nihil adnotans scripsit:

Profécto *huius* est vídulus. perge ália tu expedíre.

Fleckeisenus edidit: *Profectost huius vidulus.* Sed potest etiam fuisse *Proféctod huius est* vel *Proféctod hùiust.*

Phorm. 199. Numeri esse possunt:

Quíd agam? : : Quid ais? : : *Hûius* pátrem vidísse me patruóm tuom.

aut *Hûius patrém vidisse.* Altera mensura lenior est.

Quoius.

Capt. 887:

Séd Stalagmus *quoius erat* tunc nátionis, quom hínc abit?

Legi potest tam *quoíus erát* quam *quóius érăt*: alterum propter genuinam prosodiam *érat* et propter alacrem incessum iucundius est.

Rud. 1021:

Sí veniat nunc dóminus *quoíus est*, égo qui inspectaví procul.

quoius est Pareus, *quoiust* Fleckeisenus. Illud *quoius* monosyllabum, hoc disyllabum est. Utrumque verum esse potest.

Trin. 358:

Quoíus egestatém tolerare vís? loquere audactér patri.

Pro *quoius* librorum dativus legendus est: v. Ritschel. ad l.

Afran. com. 363:

quoius te súscitat

Imágo, quoius effígia, quo gnatús' patre.

Nonii (493, 1) libri *cuius te s.*, Bothius et Ribbeckius *eius te s.*

Enn. trag. 157 R^2:

Euálida *quoius* tenácia infrenást nimis.

Sic Ribbeckius e parte Vahlenum secutus scripsit. Libri Nonii (407, 22) corruptelis scatent.

Pacuv. 94.

Ídae promuntúrium *quoius* língua in altum próicit.

Versum cum Ribbeckio scripsi. Sed non solum qui versus numeri sint (v. Ribbeck. adn. crit. et coroll. ad trag. XLI), sed etiam quam mensuram vox *promunturium* habeat incertum est: v. Ribbeck. l. l. XLI. Eam ob causam etiam mensura insequentis *quoius* dubia est.

Pacuv. 169. Versus legi potest aut:

Quíd benefacta meí *patrîs quóius* ópera te esse ultum aútumant?

aut *meí patrís quoius ópera;* eandem sedem *quoius* Asin. 144 tenet.

Digitized by Google

Mera coniectura *eius* et *huius* illata sunt hisce locis:

Eius.

Pers. 552:

Haúd potui etiam in prímo verbo pérspicere *eius* sapiéntiam.

et Trin. 242:

Nám qui amat, quod amát quom extemplo *eius* sáviis percúlsus est.

eius Ritschelius inseruit.

Poen. V 4, 84:

Eius dís est aequom grátias nos ágere sempitérnas.

Geppertus recte quod video *eius* pro *eas* librorum scripsit.

In Vidulariae fragm. XXI apud Studemund. l. l. 26:

Hinc éx occulto sérmonem *eius* súblegam.

eius Mercerius pro *atus* quod Nonii (332, 31) libri habent novavit.

Andr. 990 (alter. exit. Andr. v. 9):

Eius non aliquam pártem studui abdúctam tradi líberis.

Eius Fleckeiseni est, libri non habent.

Caecil. com. 113:

Núnc abeo: audibís praeterea, si *éius* redeat fília.

eius Ribbeckius, *dicis* libri Nonii (506, 4).

Huius.

Merc. 607:

Dísperii: illaec ínteremit mé modo *huius* orátio.

huius Ritschelius, libri omittunt.

Merc. 997:

Óra ut ignoscát delictis *huius* atque adulescéntiae.

huius cum Acidalio Ritschelius, *tuis* libri.

Pseud. 208:

Táce : : Quid est? : : Vah mále morigerus'. quór sermoni huic óbsonas?

Ritschelius *huius* fortasse praestare adnotans et Usenerus ind. lect. aest. Gryphisw. 1866 p. 6 *huic* cum libris scripserunt, Fleckeisenus versum aliter constituens *huius*.

Pseud. 498:

Quaprópter te expertem *huius* amoris hábuerim.

huius Ritschelius, *nati* libri.

VII. Summa alterius partis disputationis proponitur.

Restat ut ea quae in hac altera disputationis parte invenimus, brevi conspectu comprehensa enumeremus.

Digitized by Google

I. Praeter disyllabas formas genetivorum *eius huius quoius* veterum poetarum tempore etiam monosyllabae *eis huis quois (ei hui quoi)* pronuntiatae frequentabantur. Monosyllaba forma genetivi *quoius* multo saepius quam disyllaba dicebatur, genetivi *eius* forma brevior in eodem fere in quo longior usu erat, *huius* disyllabum monosyllabo illius saeculi Romani utique praeferebant.

II. Apud Terentium usus breviorum formarum multo frequentior quam apud Plautum est. *Quoius* disyllabum Terentius nusquam in fabulis usurpavit.

III. Formas decurtatas ut in sermone fuerunt, sic etiam in scriptura sollemnes fuisse, nisi quod *quoimodi* scribebatur, demonstrari non potest.

IV. *Quoius modi* constanter creticum fuisse unumque vocabulum *quoimodi* effecisse videtur. *Huius modi* multo saepius trium quam quattuor syllabarum erat, pro uno vocabulo non habebatur. De *eius modi* certi quidquam dici nequit.

V. *Eius* et *huius* certa quadam condicione intercedente pyrrhichium aequantia apud Plautum et Terentium perrara sunt.

VI. Genetivos *eius huius quoius* oxytonos eaedem rationes excusant, quae cuiuslibet vocabuli trochaici oxytonesim permittunt.

Inter ea, quae in altera disputationis parte invenimus, nihil tam mirum videtur, quam quod aetati Plauti et Terentii breviores genetivorum *eius huius quoius* formae tantopere placuerint, ut vitae cotidianae consuetudo monosyllabum *huius* vel maxime frequentaret, monosyllabis autem *eius* et *quoius* illo pariter, hoc etiam magis quam disyllaba utriusque pronominis forma uteretur. Neque minus mirandum est, quod usus ille breviorum formarum altero dimidio sexti a. U. c. saeculi etiam increvit. Terentius enim breviores formas, quam rationem etiam in formis genetivi pronominis *ille* usurpandis secutum eum esse vidimus, in usu multo frequentiore quam Plautus habet. Insequenti deinde tempore, postquam auctore Ennio pro licentia illa, quam ad id tempus cum consuetudine vulgari poetae quoque sibi sumpserant, sermo poetarum ad certas rationes revocari coeptus est, etiam monosyllaba genetivorum illorum mensura magis magisque evanuisse videtur. Itaque insequenti tempore perrara exempla genetivorum monosyllabarum invenimus. Prioris dimidii septimi a. U. c. saeculi exemplum Lachmannus, qui eos locos ad Lucr. I 149 (p. 26) congessit, in hexametro Lucilii a Nonio p. 320 et 366 servato affert (lib. XXX, 56 M., v. 934 Lachm.):

Cuius vultu ac facie, ludo ac sermonibus nostris.

Digitized by Google

Lucretius deinde I 149 scripsit:

Principium *cuius* hinc nobis exordia sumet.

Eandem mensuram Lachmannus Lucretii versui IV 1089 dedit:

Unaque res haec est, *cuius* quo mage plurima habemus.

Cicero in Arateis, quae admodum adulescentulus, ut ipse ait, convertit (de nat. deor. II 41, 104), hunc hexametrum fecit (l. l. 109):

Atque *eius* ipse manet religatus corpore toto.

Quibus locis a Lachmanno allatis Munroius ad Lucr. I 149 versum non Vergilianum catal. XI 35 addidit:

Non *cuius* ob raptum pulsi liquere penates.

Formae monosyllabae in sermone vulgari haud dubie etiam posterioribus temporibus manserunt, sed usus poetarum prorsus exclusit.

Digitized by Google

Conspectus summae totius disputationis.

Restat, ut usum variorum genetivorum pronominum tam eorum quos in priore disputationis parte tractavi quam quorum de formis in altera parte quaestionem institui, tabulam supra p. 28 propositam supplens adumbrem.

Varia forma et mensura genetivorum pronominum qui

ante terminationem *ius* consonantem habent:	ante terminationem *ius* vocalem habent:
Plauti tempore *ūs* et *ius i(us)* pariter in usu, rarum *ŭs* erat.	*quoius* usitatius quam *quóius* erat, *éius* et *eius* iuxta usurpabantur, *huius* minus saepe quam *húius* dicebatur.
Breviores formae et longiores in eodem fere usu sunt.	
Terentii tempore formae breviores magis quam in *ūs* desinentes frequentabantur, rarus terminationis *ŭs* usus manebat.	*quoius* fere constans erat, *huius* et *eius* frequentiora quam *húius* et *éius* erant.
Usus breviorum formarum crescit.	
Ciceronis aetate *ūs* et *ŭs* in sermone cotidiano erant, raro genetivi decurtati dicebantur.	Breviores formae praeter *cuimodi cuicuimodi* perraro in usu erant poetarum, in vita cotidiana sine dubio manebant.
Usus breviorum formarum apud scriptores iam perrarus factus est.	
Quintiliani tempore, exceptis *utrĭusque* et *alterĭus*, terminatio *ius* constans in usu hominum erat; praeter duos illos poetae soli etiam aliorum pronominum genetivos in *ŭs* desinentes admiserunt.	Scriptorum ex usu breviores formae, fortasse excepto *cuimodi*, abierunt, in sermone vulgari servatas eas esse veri simile est. Pariter insequenti tempore fit, nisi quod *cuimodi* Gellius fortasse cum aequalibus antiquitatis amatoribus scribit.
Solitae formae prorsus praevalent.	
Terentianus Maurus una terminatione *ius* utitur.	
Prisciani tempore constanter *ius*, excepto uno *alterĭus*, pronuntiabatur.	

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

YB 00515
U. C. BERKELEY LIBRARIES
C045987240

Digitized by Google


Digitized by Google